

202

que en sucesos suyos más diligentes al que suyo labraron  
en su memoria el año 1558-1559. Yo i queriendo obsequiar el  
punto al fin de su largitud al año 1590-1591. Yo i queriendo  
en el originalmente escrito omitir las mencionadas obras que aparecen  
después de la fecha de sucesos mencionados al haberse escrito el  
informe con esa ocasión el escrito se no obviamente allí  
quedó trabajado. A los trabajos que han de ver, de lo que  
se ve, se dirá. El informe se ha escrito en la forma que se  
**DOS PARECERES INÉDITOS DEL P. SUÁREZ**  
**SOBRE LA GRACIA EFICAZ**  
por  
J. A. DE ALDAMA, S. I.

Los dos informes suarecianos que editamos tienen estrecha conexión con las Controversias *De Auxiliis*, y se encuentran entre los papeles del P. Esteban de Hojeda en la Biblioteca de la Universidad de Granada con la actual signatura Caja C 68.

El primero (fol. 461r-462r de la paginación moderna, fol. 563r-564r de la antigua) se refiere a las dos preguntas propuestas por el Cardenal Madruzzo el 23 de julio de 1599 como base para centrar la disputa sobre la gracia eficaz<sup>1</sup>.

Suárez, a la sazón profesor de Coimbra, sabemos que pasó aquel verano en España ocupado en la impresión de sus *Opuscula Theologica*<sup>2</sup>. El informe, pues, parece estar compuesto en Ávila. Allí debió mandarle las preguntas romanas el Visitador P. Hojeda, y por eso tenemos la respuesta entre los papeles de éste. Suya parece ser la nota que leemos en el fol. 462v: “*De efficacia auxilii. Patris Suárez*”.

Este hecho prueba, como también puede deducirse de otros ejemplos semejantes, que se consultaba al Doctor Eximio aun de lejos durante las controversias de Roma. A él y a otros teólogos insignes. Sin que hubieran de esperarse sus respuestas (la pre-

<sup>1</sup> Cf. MEYER, *Historia Controversiarum*, I, 232.

<sup>2</sup> Cf. DE SCORRAILLE, 2 cap. I.

mura del tiempo no lo permitía), éstas tenían siempre su importancia y su eficacia en el curso de las controversias.

El segundo informe (fol. 352r-371r de la paginación moderna, fol. 441r-460r de la antigua) es más difícil de situar, aunque sin duda pertenece al mismo ambiente ideológico de las Controversias romanas.

Su autenticidad la creemos cierta, a pesar de alguna nubecilla expresada en el manuscrito mismo por una mano posterior. En el fol. 372v se lee, tal vez de letra del P. Hojeda: "Es tratado del P. Francisco Suárez de materia de auxiliis". Pero a continuación ha escrito alguien: "Sed licet non indoctus, stylum Patris Suárez minime redolet, est enim deductior".

Si embargo, el argumento del estilo no nos parece concluyente, ni las diferencias con el del P. Suárez tan claras y manifiestas. Positivamente podríamos probar lo contrario.

No parece ser una mera coincidencia la siguiente afirmación del tratadito, que tiene su paralelo perfecto en el *De Gratia* de Suárez<sup>3</sup>:

*El informe:*

Satis nunc sit ad id de quo agimus, Augustinum nonnullum quam tam collectionem fecisse, nec adumbrasse. Libere enim et sine arrogantia dicam, non semel sed saepius diligenter evolvisse omnia opera quae Augustinus de hac materia scripsit, magna animi indifferentia et solo desiderio intelligendi veritatem, nunquamque aliquid invenisse quod insinuet vel illud principium aliter intelligere, vel ex illo determinationem physicam colligi posse.

*El De Gratia:*

Respondemus nullum inventari apud Augustinum testimonium, in quo id doceat vel ex quo satis probabili conjectura talis mens Augustini colligi possit. Hanc assertionem probamus... Non enim semel sed saepius totam Augustini doctrinam, praesertim ad hanc materiam pertinentem, evolvimus, non quidem ex praeiudicio et animo defendendi propriam sententiam, sed omnino inveniendi mentem eius, nihilque occultandi, quod ad illam indagandam conducere posse videatur.

3. *De Gratia*, 5, 43, 1. El título del capítulo es: "Utrum Augustinus praedeterminationi aliquando faveat".

En ambos casos se habla de San Agustín y de la predeterminación física.

El informe de Suárez fácilmente nos llevaría a la disputa 43 *De Auxiliis* (Congregación 76, celebrada el 22 de noviembre de 1605<sup>4</sup>). Y no parece aventurado suponer que está compuesto para que sirviera a Bastida en aquella ocasión. En este sentido habría que corregir la insinuación que hicimos en EstEcl 22 (1948) 502. La alusión suareciana de aquel informe se referiría mejor al opúsculo *De vera intelligentia auxilii efficacis*, compuesto por entonces.

<sup>4</sup> Cf. MEYER, *Historia Controversiarum*, lib. 6 cap. 11.

## I De efficacia auxilii

[fol. 563r]

AN TOTA EFFICACIA AUXILII PRAEVENIENTIS GRATIAE SIT A DEO TAMQUAM A SOLA TOTALI EL PROPRIA EFFICIENTE CAUSA; ATQUE ITA TALE AUXILIUM DICATUR ET SIT VERE ET COMPLETE EFFICAX DE SE ET UT EST PRAECISSE A DEO; AN POTIUS ISTA EFFICACIA SIT A DEO ET A CONSENSU LIBERI ARBITRII TAMQUAM A DUABUS CAUSIS PROPRIE EFFICIENTIBUS, ET CONSEQUENTER, AN IN LIBERI ARBITRII POTESTATE SITUM SIT PRAEVENIENTIS DIVINAE GRATIAE AUXILIA REDDERE PROPRIE EFFICACIA VEL INEFFICACIA.

DENIQUE UTRUM, POSITO AUXILIO PRAEVENIENTIS GRATIAE VERE ET PROPRIE EFFICACI, STET SIMUL CUM ILLO ACTUALIS DISSENSUS LIBERI ARBITRII.

Ad respondendum his interrogationibus advertere necesse est, auxilium gratiae praevenientis et esse aliquid in nobis a Deo factum, et esse principium quo Deus in nobis operetur supernaturales actus proprie ac perfecte humanos, hoc est liberos, et ex propria nostra deliberatione procedentes. Hinc ergo est, ut in hoc auxilio praeveniente, quod efficax est, efficacia eius dici possit aut virtus illa, quam habet ad efficiendum in nobis liberum consensum simul faciendo ut voluntas nostra libere consentiat, aut ipsa actualis efficientia liberis consensus nostri. Utramque enim significationem proprie admittit vox illa *efficacia*. Et ideo cavenda est et distinguenda vocis ambiguitas.

Ad primam ergo interrogationem respondendum est, efficaciam praevenientis auxilii priori modo sumptam esse a solo Deo, illudque auxilium, ut est praecisso a Deo, esse vere et complete

efficax; tum quia a solo Deo habet totam suam efficacitatem et virtutem ad movendam nostram voluntatem, tum etiam quia quatenus a Deo hic et nunc datur, potens est ad trahendam nostram voluntatem ut infallibiliter libere consentiat; et in hoc consistit efficacia eius.

Illa vero particula *de se*, quae in interrogatione additur, nec a Patribus aut Theologis de hac re loquentibus addi solet, nec necessaria videtur; quia interrogationem reddit obscuriorum, est enim ambigua. Unde distinguenda etiam est.

Nam in uno sensu, et adjuncta dictioni *efficax*, quae proxime praecedit, erit diminuens potius quam augens sensum locutionis. Dicitur enim auxilium *de se efficax*, quia quantum in se est efficiet consensum, nisi impediatur a libero arbitrio. Quo modo auxilium sufficiens est etiam *de se efficax*. Quare in hoc sensu manifestum est auxilium praeveniens a solo Deo habere ut sit *de se efficax*. Tamen non est hic sensus Patrum interrogantium.

Alio ergo modo sumitur illa particula *de se*, ut augeat et ampliet sensum locutionis et excludat omnem aliam rationem huius efficaciae talis auxilii praeter entitatem eius; ita ut sensus sit, hoc auxilium esse ita *efficax ex vi sua physicae entitatis*, ut activitatem habeat et physicam efficaciam ad praedeterminandam nostram voluntatem, seu ad faciendum infallibiliter actum propter quem datur. Et hic sensus videtur intentus ab interrogantibus. Nam est maxime proprius illius locutionis et intentus a [fol. 563v] modernis theologis, qui particulam illam in huiusmodi locutione adiungere consueverunt. In hoc igitur sensu omnino negandum est auxilium praeveniens habere *de se* hanc efficaciam; quia hoc modo nostram laederet libertatem.

Adhiberi tamen potest aliud sensus, in quo illa particula *de se* solum indicet auxilium illud, prout datur a Deo, priusquam homo per illud aliquid operetur, esse vere *efficax* et non habere efficaciam praedictam a libero arbitrio ut a causa efficiente, sed habere illam a Deo hic et nunc tali modo operante, quamvis non sine eo respectu ad liberum arbitrium, cui congruum est tale auxilium in divina praescientia. Atque in hoc sensu admitti potest et debet illa locutio. Licet fortasse nec a Patribus interrogantibus ille sensus intentus sit, nec multum usitatus. Ratio vero diversitatis ex eo sumenda est, quod paulo antea diximus, hanc efficaciam huius auxilii non esse tantum physicam, et ideo non con-

venire illi de se in priori sensu explicato: Habet ergo illam morali modo, et supposita praescientia Dei circa liberum arbitrium eiusque futuram cooperationem si hoc vel illo modo praeveniantur, cui etiam adiungitur definitum Dei propositum, quo statuit hominis voluntatem ad se convertere, ex quo proposito praebet illud auxilium, quod accommodatum esse praenovit. Ideoque in postremo sensu auxilium, ut à Deo procedit, dici potest de se efficax.

At vero loquendo de efficacia in altero sensu, sic dicendum est hanc efficaciam non esse a solo Deo, vel a solo auxilio praeveniente, sed etiam a nobis minus principaliter cooperantibus; quia, ut Augustinus dixit, *qui salvavit te sine te*, etc. Nec vero proprie dicitur, ut in interrogatione proponitur, hanc efficaciam esse efficienter a consensu liberi arbitrii; nam potius est circa consensum liberi arbitrii, et ab ipso libero arbitrio efficiente talen consensum, praedicto modo cooperando eidem auxilio, ut Concilium Tridentinum dixit<sup>1</sup>.

Denique nec etiam propria est locutio, quae in eadem interrogacione habetur, hanc efficaciam auxilii esse a Deo et libero arbitrio ut a duabus causis proprie efficientibus; sed consensus ipse liber est proprie ab his duabus causis vere ac proprie efficientibus; efficientia autem non proprie fit, sed est ipse actualis influxus seu actio, per quam fit liber consensus.

Ex his facilis est responsio ad alias interrogations.

Ad secundam enim eadem distinctio adhibenda est. Si enim sensus sit, an sit in potestate liberi arbitrii reddere auxilia Dei praevenientia efficacia vel inefficacia, id est actu efficientia vel non efficientia consensum, sic dicendum est esse in potestate nostra reddere inefficacia haec auxilia; quia est in potestate nostra eis resistere et dissentire, si velimus, ut dixit Concilium Tridentinum<sup>2</sup>. Et simili modo est in potestate nostra adhibere cooperationem necessariam, ut auxilium praeveniens efficiat, et sine qua non efficiet.

Quo sensu dico solet tale auxilium reddi efficax a libero arbitrio. Est tamen minus propria locutio; quia liberum arbitrium non dat aliquid ipsi auxilio ut dicatur illud efficax reddere; sed dicitur proprius, liberum arbitrium posse impedire vel non im-

<sup>1</sup> Conc. Tridentinam sess. 6 cap. 5.

<sup>2</sup> Conc. Tridentinum sess. 6 cap. 5.

pedire efficaciam divini auxilii praevenientis. Item dicitur proprie liberum arbitrium aliquid conferre ad actionem praevenientis auxilii, sine quo tale auxilium nihil efficiet.

Si autem non sit sensus de actuali efficientia, sed de efficacia auxilii in actu primo (ut terminis scholasticis utamur), sic non est situm in potestate liberi arbitrii reddere inefficax tale auxilium praeveniens, quod efficax supponitur. Quia hoc modo fit sensus compositus, qui includit repugnantia. Sicut [fol 564r] non potest homo facere ut illud auxilium non sit congruum, quod Deus praenovit fore congruum.

Si vero non supponatur aliquid, sed simpliciter de illo auxilio sit sermo, sic verum est esse situm in potestate liberi arbitrii ut auxilium praeveniens non sit efficax. Quia in potestate illius absolute loquendo est non cooperari illi auxilio; sine qua cooperatione illud non erit efficax.

Atque hinc patet responsio ad ultimam interrogationem. Nam facta suppositione quod auxilium sit efficax, non stat simul cum illo actualis dissensus liberi arbitrii. Quia in illa suppositione includitur Deum praenovisse, posito tali auxilio, liberum arbitrium fore consensurum. Qua scientia semel supposta, mutari non potest; et in ea fundatur efficacia auxilii, quae praeter sufficientiam ex parte ipsius auxilii, nihil addit nisi infallibilem coniunctionem cum effectu ex praescientia conditio- nata et ex intentione Dei absoluta, cui humanum arbitrium non resistit.

At vero nulla facta suppositione, et considerato illo auxilio praeveniente secundum suam entitatem et physicam tantum efficacitatem, sic posset stare cum illo actualis dissensus liberi arbitrii. Quia iuxta doctrinam Tridentini Concilii<sup>3</sup>, semper est in potestate liberi arbitrii resistere praevenienti auxilio.

Post has responsiones, esset optimum consilium reconvenire interrogantes, et vicissim ab eis interrogare: an primam propositionem admittant in secundo sensu hic reprobato. Et cogerentur suum sensum de physica praedeterminatione declarare; nec poterunt effugere respcionem, cum iustissime interrogentur, quia ex hac interrogatione pendet scire in quo conveniamus vel disseniamus circa has propositiones.

Simili modo interrogandi sunt: an admittant secundam pro-

---

<sup>3</sup> Conc. Tridentinum sess. 6 cap. 5.

positionem in primo sensu supra declarato, id est an actualis efficientia auxiliū praevenientis pendeat a concursu liberi arbitrii, a quo proinde possit impediri.

Item, an negent tertiam propositionem in ultimo sensu a nobis probato; et consequenter, an dicant esse aliquod auxilium praeviens, quo posito, ei non possit resistere liberum arbitrium.

## II

### De sententia S. Augustini circa praedeterminationem physicam

[fol. 352r]

**QUAESTIO THEOLOGA: UTRUM EX SENTENTIA AUGUSTINI DETUR MOTIO GRATIAE, QUAE PHYSICE VOLUNTATEM HOMINIS PRAEDETERMINET AD ACTUS SUPERNATURALES?**

#### [Introductio]

Ut brevi possimus comprehendere, unde sint utriusque partis fundamenta vel indicia ex doctrina Augustini petenda, adverto in primis duo esse principalia principia, ex quibus possit necessitas huius physicae determinationis humanae voluntatis a divina elici. Primum est, generalis subordinatio necessaria, quae est inter causam secundam et primam. Secundum est, necessitas divinae gratiae ad opera supernaturalia; ita ut in eis specialiter requirat Augustinus hanc physicam determinationem.

De primo principio nihil dicam, tum quia ex ea parte, qua commune est omnibus operibus humanis, etiam malis, improbabile mihi est illud fundamentum; tum maxime (quod ad praesens spectat), quia illa deductio seu illatio nullum habet in doctrina Augustini fundamentum.

Ubicumque enim aliquid speciale tribuere videtur divinae efficientiae circa hominis voluntatem, loquitur in defensionem gratiae et ut necessitatem illius ostendat. Non ergo agit de motione seu actione Dei propter generalem subordinationem seu dependentiam causae secundae a prima.

Quod plane constabit ex testimoniis statim tractandis; et

quia extra illa opuscula, in quibus pro gratia Dei contra Pelagianos pugnat, nullum invenietur aut afferetur testimonium, quo tamen determinationem indicet; sed solam necessitatem divini influxus ad esse cuituscumque rei vel actionis.

Sic libro 12 de Civitate cap. 25: *Cuius (scilicet Dei), inquit, occulta potentia cuncta penetrans incommutabili praesentia, facit esse quidquid aliquo modo est, in quantumcumque est; quia nisi faciente illo, non tale vel tale esset, sed prorsus non esset*<sup>1</sup>. [fol. 352v] Et infra: *nec operarios habet, nisi quos ipse creaverit; et si potentiam suam (ut ita dicam) fabricatoriam rebus substrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent non fuerunt*<sup>2</sup>. Et libro 16 cap. 5, expendens illam sententiam Genesis 11 [7] “venite et descendentes confundamus linguam eorum”, ait illis significasse Deum ita se operari per ministros suos, ut sint etiam ipsi cooperatores Dei<sup>3</sup>. Et loquitur aperte de operibus, quae ab angelis naturaliter fieri possunt; non tamen sine concursu Dei. Ubi nullum est indicium determinationis.

Quin potius in eodem opere de Civitate libro 7 cap. 30 generaliter dixit: *sic Deus administrat omnia, quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat*<sup>4</sup>. Ex subordinacione igitur causae secundae ad primam nihil, quoad hanc partem colligi potest; nec Augustinus de naturalibus operibus, sed de virtute gratiae locutus est, ubicumque de hac singulari Dei efficacitate sermonem habuit.

Nam, ut ibidem dixit, libro 16 de Civitate cap. 26, expendens promissionem factam Abrahae de procreando Isaac, “benedicam ultra illam (id est Saram) et dabo tibi filium in ea” [cf. Gen. 17, 16]: *in filio promissionis significatur gratia et non natura; quamvis enim et naturalis procreationis excursum Deus operetur, ubi tamen evidens opus Dei est, vitiata et cessante natura, ibi evidentius intelligitur gratia*<sup>5</sup>. Sic ergo, licet Deus omnia naturae opera ut prima causa operetur, tamen cum singulariter Augustinus intendit naturae opera esse dona Dei, evidenter loquitur de gratia et dependentia nostrae voluntatis ab illa in operibus eius.

1 *De Civitate Dei* 12, 25: ML 41, 375.

2 *De Civitate Dei* 12, 25: ML 41, 375.

3 *De Civitate Dei* 16, 5: ML 41, 483.

4 *De Civitate Dei* 7, 30: ML 41, 220.

5 *De Civitate Dei* 16, 26, 2: ML 41, 505.

Videndum ergo est, an ex efficacitate, quam Augustinus tribuit gratiae, haec determinatio physica colligatur.

[fol. 353r] Secundo suppono duo praeterea esse posse principia in materia de gratia, in quibus haec determinatio nitatur. Unum est, principium salutis et omnis boni operis ad pietatem et salutem conduceant non esse ex libero arbitrio, sed ex gratia divina. Aliud est, in electis et praedestinatis, atque adeo in omnibus qui ad Deum supernaturaliter convertuntur, esse quamdam peculiarem gratiam, per quam eis infallibiliter datur ut convertantur, credant, amant vel perseverent; et non tantum ut possint haec facere.

Primum ex his principiis certissimum est in doctrina Augustini, et pro illo pugnavit singulariter post alia opera in libris de Praedestinatione Sanctorum et de Dono perseverantiae; quibus veluti testamentum [habetur] Augustini et ultima eius sententia in materia de gratia. Est enim illud principium de fide certissimum, et in Sacra Scriptura satis expressum, et contra Pelagianos et Semipelagianos definitum copiose in Concilio Araucano II can. 3,4,5 et 6, et in Tridentino sess. 6 cap. 5 et can. 3.

Verumtamen principium hoc impertinens est ad colligendam ex illo physicam voluntatis determinationem per gratiam. Nec in doctrina Augustini vel minimum aliquod testimonium reperiatur, in quo talis collectio fundari possit.

Nam in utroque opere citato et libro i Quaestionum ad Simplicianum q.2, et ubicumque illam materiam tractat, in hoc consistere dicit quod initium salutis sit ex Deo et non ex nobis, quod divina gratia; omnia opera nostra praevenit et prima gratiae inspiratio atque vocatio non ex meritis nostris datur, sed ex gratia. *Ut non sint*, inquit ad Simplicianum, *opera praecedentia gratiam, sed consequentia* [fol. 363v]; *ut scilicet nemo arbitretur ideo se perceperisse gratiam* (utique quoamdi primum initium eius) *quia bene operatus est, sed bene operari non posse nisi per fidem percepere gratiam*. *Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere vel interna vel externa admonitione motus ad fidem*<sup>6</sup>.

Quod ibi<sup>7</sup> et aliis locis, quae mox commemorabimus, late prosequitur. Optime attem et breviter epistola 106, dicens: *cum*

<sup>6</sup> *De diversis quaestionibus ad Simplicianum* 1,2,2: ML 40,111.

<sup>7</sup> Al margen se añade: *et optime epist. 107, es decir Epist. 217,2,5: ML 33,980.*

*fides impetrat iustificationem, non gratiam Dei aliquid meriti praecedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta merreatur et perfici, comitante non ducente, pedissequa non praevia voluntate. Quantumcumque enim cogitavero merita mea, misericordia eius praeveniet me (Ps 58 [11]).*

Et eodem modo exposuit hoc initium gratiae Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 5, dicens: *declarat praeterea iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur.*

Quomodo autem ex hoc primo gratiae principio, quod fit per inspirationem vel excitationem divinam, sequantur in nobis bona opera, an per determinationem physicam voluntatis, vel alio modo, neque ad illud principium pertinet, ut per se notum est, nec cum illo habet coniunctionem, ut ex dicendis evidenter patet. Satis nunc sit ad id de quo agimus, Augustinum numquam talem collectionem fecisse, nec adumbrasse. Libere enim et sine arrogantia dicam, non semel sed saepius diligenter evolvisse omnia opera, quae Augustinus de hac materia scripsit, magna animi indifferentia et solo desiderio intelligendi veritatem, numquamque aliquid invenisse, quod insinuet vel illud principium aliter intelligere, vel ex illo determinationem physicam [fol. 354r] colligi posse. Addo etiam multa occurrisse, in quibus oppositum non leviter significatur; quae in sequentibus commemorabo.

### Argumenta pro sententia affirmante

In alio ergo gratiae principio totus huius disputationis cardo versatur. Nam etiam illud principium verissimum est, et in doctrina Augustini longe certissimum.

Quod autem in illo determinatio haec physica voluntatis continetur, et res ipsa et frequentissima Augustini testimonia sua denevidentur.

Res quidem, quia voluntas divina efficacissima est; et quando aliquid definite et efficaciter statuit, fieri non potest quin illud fiat; sed, iuxta sententiam Augustini, Deus ex se solo et ante

omnem nostram determinationem ita statuit de salute eorum, qui cum effectu salvantur, et de fide eorum, qui actu credunt, et de paenitentia eorum, qui illam agunt, et sic de aliis; ergo fieri non potest quin ita fiat; ergo per illam voluntatem divinam, vel per media illi proportionata, determinatur voluntas humana ut velint credere, paenitere etc. Quia nec potest resistere efficaci voluntati divinae, nec potest aliter eius operatio esse prorsus infallibilis et conformis voluntati Dei.

Testimonia autem Augustini possent innumera recenseri. Sed pauca et efficaciora commemorabo.

Primum sit ex libro de Praedestinatione Sanctorum cap. 6: *multi audiunt verbum veritatis; sed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo isti, nolunt autem illi. Quis hoc ignorat? Sed cum aliis praeparetur voluntas a Domino, aliis non praeparetur; discernendum est quid veniat de misericordia, et quid de iudicio*<sup>9</sup> [fol. 354v]. Ubi interrogo, quid possit Augustinus nomine praeparationis voluntatis, nisi determinationem, intelligere. Aut enim illa praeparatio talis est, ut ei resisti possit; et hoc modo etiam multorum voluntas praeparatur, qui non credunt; alias numquam ex parte gratiae essent sufficienter praeparati ad credendum, et consequenter nec peccarent non credendo. Est ergo illa praeparatio talis, ut ei resisti non possit. Et haec est determinatio.

Secundum Augustini testimonium sumi potest ex eodem libro cap. 8. Ubi eamdem differentiam constituens inter eos, qui, cum idem Evangelium ab eodem praedicatore eodem modo propositum audiant, quidam credunt, quidam non credunt, subdit: *sed qui credunt praedicatori forinsecus sonanti, intus a Patre audiunt et discunt; qui autem non credunt, forinsecus audiunt, neque discunt*. Exponens autem quid sit intus audire et discere, addit: *hoc est, illis datur ut credant, istis non datur; quia nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*<sup>10</sup>. Sentit ergo Augustinus, eos, qui non credunt, ita interius trahi et doceri a Deo, ut omnino credant; ita ut minime possint non credere, si ita interius doceantur. Cum ergo non credant nisi volendo, determinatur prorsus eorum voluntas ut velint credere. Unde de non cre-

<sup>9</sup> De Praedestinatione Sanctorum 6,11: ML 44,968s.

<sup>10</sup> De Praedestinatione Sanctorum 8,15: ML 44,972.

dentibus subiungit: si illos docere voluisset, procul dubio venient et ipsi. Determinarentur ergo prorsus ad volendum.

Sunt praeterea in eodem capite alia difficultaria verba, quae eamdem Augustini mentem prorsus ostendere videntur. Afferens enim adversariorum obiectionem, quae nunc etiam frequens est, ait: *quare, inquiunt, non omnes docet?* Et referens aliorum rationem, scilicet quia nolunt discere, contra illam subiungit: *et ubi est quod ei dicitur: Domine, tu [fol. 355r] conversus vivificabis nos [Ps 84,7]?* Aut si non facit volentes de nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secundum praeceptum Domini pro persecutoribus suis? <sup>11</sup> Sentit ergo Augustinus illos, qui non credunt, ideo non credere quia non convertuntur a Deo, et quia non facit eos ex nolentibus volentes. Qui ergo credunt, ideo credunt quia Deus facit illos ex relentibus volentes. Quid autem aliud est voluntatem determinare, nisi eam facere efficaciter (ita enim plane intelligit Augustinus) volentem aut nolentem.

Ex libro etiam de Dono perseverantiae cap. 1,6,15 et 22 intelligitur aperte Augustinum contra Massilienses, reliquias Pelagianorum, disputando, hanc differentiam constituere inter eos, qui actu perseverant, et eos, qui non perseverant: quod illi gratiam aliquam specialem recipiunt, quae, si data est, inquit, perseveratum est usque ad finem; si autem non est perseveratum usque ad finem, non est data <sup>12</sup>. At si aperte diceret: talis est illa gratia, ut hominem ad perseverandum determinet, nec possit hic effectus ab illa causa separari. At vero perseverantia non fit sine voluntate. Ergo ex sententia Augustini in his qui actu perseverant, gratia determinat voluntatem eorum ut perseverent.

Explicavit hoc ipsum apertius Augustinus libro de Correptione et gratia cap. 11. Ubi agens de gratiae adiutorio, quod per Christum datur hominibus praedestinati, tantum ac tale dicit esse, *ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verum etiam tantum ac tale sit ut velimus* <sup>13</sup>. Determinatur ergo per talem gratiam, ut omnino velimus.

Et cap. 12 subiungit gravissima verba: *subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et in-*

<sup>11</sup> *De Praedestinatione Sanctorum* 8,15: ML 44,971s.

<sup>12</sup> *De Dono perseverantiae* 6,10: ML 45,999.

<sup>13</sup> *De Correptione et Gratia* 11,32: ML 44,936.

*separabiliter ageret, etc.*<sup>14</sup>. Ubi etiam obscurissimam differentiam constituit inter Adamum et hominem lapsum; a qua provenit ut ille [fol. 355v] licet in magna gratia et rectitudine conditus, non perseveraverit, hic autem, licet infirmus et debilis, frequenter perseveret. *Fortissimo quippe, inquit, dimisit atque permisit facere quod vellet, infirmis servarit ut ipso donante invictissime nollent.* Est ergo differentia, quod voluntas Adae non est a Deo determinata ad bonum, nostra autem, si sit hominis electi, determinatur.

Præterea libro de Peccatorum meritis et remissione cap. 19: ideo, inquit, quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur ut noverit non suae facultatis sed divini munieris esse, vel quod scit vel quod delectatur<sup>15</sup>. Sicut ergo scientia et cognitio est ex determinatione divina, ita etiam voluntas.

Est etiam egregius locus libro de Correptione et gratia cap. 19, ubi sic ait: *cum homines per correptionem in viam iustitiae seu veniunt seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi Ille qui quolibet plantante atque rigante dat incrementum, Deus, cui volenti salvum facere nullum humanum resistit arbitrium?* Sic enim velle et nolle in volentis ac nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impedit nec superet voluntatem<sup>16</sup>. Ergo totum hoc negotium ponit Augustinus in divina voluntate, cui nostra resistere non potest. Ponit autem illam antecedentem et ita efficaciter moventem, ut impediri non possit. Quae ergo maior determinatio cogitari potest?

Et ideo dixit idem Augustinus in Enchiridio cap. 103: *nullus hominum salvus fit, nisi quem Deus salvum fieri velit; et ideo rogandus est ut velit; quia si vult, nascere est, fieri*<sup>17</sup>.

Est etiam urgens testimonium libro 1 de Gratia Christi cap. 17: *intueantur, inquit, atque fatcantur non lege atque doctrina sonante forinsecus, sed interra atque occulta ac mirabili et inefabili potestate operari Deum in cordibus humanis non solum veram revelationem, sed etiam bonam voluntatem*<sup>18</sup>. Non videtur

14 *De Correptione et Gratia* 12,38: ML 44,971s.

15 *De peccatorum meritis et remissione* 2,17,27: ML 44,168.

16 *De Correptione et Gratia* 14,43: ML 44,942.

17 *Enchiridion* 103,27: ML 40, 280. Al margen se añade: *idem epist. 107, Es decir Epist. 217,2,5: ML 33,980.*

18 *De gratia Christi et de peccato originali* 1,24,25. ML 44,373.

posse clarius tribuere omnipotentiae Dei determinationem voluntatis humanae in operibus gratiae.

Multumque similia sumi possunt ex libro Enchiridii cap. 98 et 99, et libro de Gratia et libero arbitrio cap. 16 et 17: *praebens, rati, vires efficacissimas*. Item libro 2 Contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9, et libro 4 cap. 6 prope finem, et alibi passim.<sup>19</sup> [fol. 356r].

### Sententia negans

His non obstantibus censeo, numquam fuisse Augustini mentem hunc maxime efficacitatis gratiae tribuere, multoque minus esse ad salutem et ad omnia supernaturalia opera humana necessarium, nimis per physicam praedeterminationem voluntatis, quae in nobis a Deo fiat antecedente ad consensum nostrum. Moveor autem praecipue triplici fundamento, quae breviter explicabo.

### Primum fundamentum

Primum fundamentum est, quia numquam Augustinus hoc propriis et formalibus verbis docuit, non solum utendo nomine physicae determinationis, verum nec absolute voce determinationis aut verbo praedeterminandi. Ego enim nec huiusmodi locutionem in Augustino legi, nec ab aliis proferri video. At in re tam ardua totque difficultatibus implicata, non est Augustino imponendum quod ipse expresse non dixerit. Maxime cum illa verba non sint adeo extraordinaria, quia facile ocurrant: sintque vel unica vel aptissima ad illum effectum explicandum. Mirum ergo profecto est, Augustinum ad significandam illam singularem efficaciam gratiae infinitos alios loquendi modos invenisse, ut mentem suam nobis exponeret, et hunc praetermissus, qui omnium esset clarior et ad constituendam differentiam inter eos, qui consentiunt vel non consentiunt gratiae, aptior, si in illa physica determinatione voluntatis differentiam ipse constituere voluisset.

Ad hoc fundamentum confirmandum expendo locum citatum Augustini de Praedestinatione Sanctorum cap. 6: *multi audiunt*

<sup>19</sup> Enchiridion 98 et 99: ML 40,277; De gratia et libero arbitrio 16,32: ML 44, 900; Contra duas epistolas Pelagianorum 2,9 et 4,6: ML 44, 586,618.

*verbum veritatis, sed alii credunt alii contradicunt; volunt ergo isti, nolunt autem illi. Quis hoc ignorat? Sed cum aliis praeparetur voluntas a Domino. aliis non praeparetur, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de iudicio<sup>20</sup>. Quis non videat, quam sit diversum praeparari voluntatem, vel determinari? Cur ergo non dixit Augustinus discernendum est unius voluntatem determinari, alterius non determinari? Assignare namque voluit Augustinus radicem et rationem sufficientem ex parte Dei, cur hic velit, ille nolit. Si autem Deus determinaret voluntates, quae consentiunt, haec esset unica et adaequata ratio illius diversitatis. At vero Augustinus hanc non reddit, sed solum praefol. 356v]parationem accommodatam, qua posita, voluntas, gratia coadiuvante, se determinat.*

Dices praeparationem hanc includere determinationem, ac proinde perinde fuisse dicere praeparatur, ac determinatur voluntas a Domino. Assumptum patet, quia voluntas tunc praeparatur cum determinatur et convertitur. Ergo si Deus sua sola et efficaci virtute illam secundum Augustinum praeparat, plane etiam determinat.

At haec acceptio verbi praeparandi longe aliena est a mente Augustini in illo loco. Est enim in nostra voluntate duplex praeparatio. Una, quae per se disposita ad iustitiam habitualem, vel ad aliquam virtutem eius, ut ad caritatem, fidem, spem. Alia, qua ad illam dispositionem cum effectu habendam praeparatur voluntas. Prior consistit in aliquo actu libero et humano; et generaliter dici potest conversio voluntatis ad fidem, vel ad paenitentiam, vel ad dilectionem. Posterior vero libera non est, nec requirit nostrae voluntatis consensum; sed ad illum ab illa obtainendum ordinatur.

De priori locutum est Concilium Tridentinum sess. 6 can. 4, cum dixit: *si quis dixerit, liberum heminis arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil cooperari dissentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtainendam iustificationis gratiam se disponat et praeparet*, etc. De posteriori vero locutus est Augustinus citato loco.

In cuius etiam doctrina observandum est, interdum praedestinationem ipsam vocari praparationem. Sic enim libro de

<sup>20</sup> *De Praedestinatione Sanctorum* 6,11: ML 44,968s.

Praedestinatione Sanctorum cap. 10 definit praedeestinationem, ut sit *praeparatio et praescientia gratiae et beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*<sup>21</sup>. Illa vero praeparatio, cum aeterna sit sicut et ipsa praedestinatio, non est externa, ut sic dicam, sed interna; id est, non est in humana voluntate sed in Deo, nihilque aliud est quam praescientia cum proposito absoluto dandi homini talem finem per talia media. Ex hac ergo aeterna praeparatione manat temporalis, quae inchoatur per divinam vocationem et inspirationem internamque motionem. Et de hac loquitur ibi Augustinus. Nam illa non includit consensum hominis, sed antecedit illum. Quem sensum verba ipsa Augustini p[re]se ferunt. Ideo enim ait, hos velle credere, quia praeparatur eorum voluntas a Domino. Non ergo loquitur de praeparatione per fidem ad iustitiam, sed de praeparatione ad ipsam voluntatem credendi; quam praeparationem non homo libere facit, sed a Deo illam recipit et per illam praeparatur, non autem determinatur, ut velit.

Unde idem Augustinus libro 2 *Contra duas epistolas Pelagianorum* cap. 9, hanc praeparationem *tactum Dei* vocavit<sup>22</sup>; atque ita in concordiam redigit duo loca Sapientis: Prov. 8 [25] “praeparatur voluntas a Domino” (secundum LXX), et Prov. 16 [1] “hominis est praeparare animam”. Nam in hoc ultimo sermo est de praeparatione sumpta priori modo a nobis exposito, de quo ait Augustinus: *hominis est praeparare cor, non vero sine adiutorio Dei, qui tangit cor*. Et de hoc tactu intelligit alia verba: [fol. 357r] “praeparatur voluntas a Domino”. Quam vero diversum sit, Deum tangere cor, et illud determinare, satis illa verba eiusdem Sapientiae declarant: “ego sum ad ostium et pulso; si quis aperuerit, intrabo ad eum [Apoc. 3, 20]”. Unde concludit eodem loco idem Augustinus Deum per gratiam esse utriusque praeparationis auctorem, sed diverso modo: *quia in una, inquit, cooperatur homini facienti, alteram solus facit*<sup>23</sup>. *Quia multa, inquit ibidem, sunt in homine bona, quae non facit homo, nullum autem est in homine bonum, quod non facit Deus ut faciat homo*<sup>24</sup>. Praeparat ergo

21 La famosa definición está en *De Dono perseverantiae* 14,35: ML 45,1014.

22 *Contra duas epistolas Pelagianorum* 2,9,19: ML 44,585.

23 *Contra duas epistolas Pelagianorum* 2,9,20: ML 44,586.

24 *Contra duas epistolas Pelagianorum* 2,9,21: ML 44,586.

Deus hominem ut velit sola sua gratia excitando et inspirando voluntatem bonam, non autem determinando.

### Secundum fundamentum

Secundum fundamentum principale hoc modo declaratur. Quia nulla gratia excitans seu praeveniens determinat physice voluntatem; sed gratia per quam Deus, iuxta doctrinam et modum loquendi Augustini hominis voluntatem ita praeparat ut infallibiliter velit quod Deus vult eam velle, seu per quam facit ut velit, etc., est gratia praeveniens, nec de alia loquitur Augustinus in omnibus citatis locis; ergo non loquitur de gratia physice determinante liberum arbitrium.

Maiores non negant etiam fautores alterius sententiae; vel si negant, in eas angustias incidunt, ut conversionem et consensum nostrae voluntatis spontaneum solum esse fateri cogantur. Qui autem attentius rem considerarunt, id iam negare non audent, ne expressae definitioni Concilii Tridentini sess. 6 can. 4 contradicant. Sic enim dicit ibi Concilium: *si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti et vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, nec posse dissentire si velit, anathema sit.* Ubi primum considerandum est, Concilium non loqui de praeveniente gratia sufficiente, sed etiam de efficaci. Quia non solum loquitur de gratia, cui homo potest cooperari, sed cui cooperatur ut se disponat ac praeparet; gratia autem praeveniens, cui homo cooperatur, efficax est in suo ordine. Deinde adverto, quod de eadem gratia praeveniente, cui homo cooperatur, definit posse hominem illi resistere et dissentire si velit, etiam facta suppositione talis gratiae praevenientis; tum quia ipsum verbum dissentendi et resistendi supponit vocationem, cui dissentiri potest; tum etiam quia cooperatio cum gratia praeveniente supponit illam et facit compositionem illam. Ergo et potestas dissentendi intelligitur esse etiam supposita et existente iam in homine praeveniente et excitante gratia. Unde, licet in ordine ad ipsum consensum non possit homo in sensu composito dissentire cum consentit, id est non possit hos duos actus simul habere, tamen in ordine ad pro-

ximum principium illius consensus, quod est gratia praeveniens, etiam in sensu composito potest homo praeventus et excitatus a Deo, dissentire si velit. Et hic est [fol. 357v] planus sensus Concilii. Et ita in eo canone duo simul definit: unum est, hominem vocatum et excitatum a Deo spontanee velle efficiendo consensum cooperandoque divinae excitationi; et libere etiam velle, quia cum indefferentia consentit, id est cum potestate dissentendi si velit. Certum ergo sit, gratiam praevenientem ut sic non determinare physice voluntatem; quia ubi est praedeterminatio physica non est potestas dissentendi; est enim clara repugnatio. Et hanc etiam partem esse consentaneam sententiis Augustini, ex sequentibus testimonio manifestum erit.

Probanda ergo superest subsumpta propositio, scilicet Augustinum de gratia praeveniente loqui in omnibus illis locis, quae ex eius doctrina pro physica praedeterminatione citantur.

Hoc autem ostendo in primis ex illo loco de Praedestinatione Sanctorum cap. 6, ubi totam efficacitatem gratiae per hoc explicat quod praeparatur voluntas a Domino <sup>25</sup>. Ostendimus autem ex eiusdem Augustini doctrina Deum praeparare voluntatem per tactum cordis; tactus autem cordis evidenter pertinet ad praevenientem gratiam. Sic etiam exposuit eamdem praeparationem idem Augustinus de Gratia et libero arbitrio cap. 17, dicens: *quis istam, licet parvam, dare caeperat caritatem, nisi Ille qui praeparat voluntatem, et cooperando perficit quod operando incipit?*<sup>26</sup>. Operari ergo incipiendo, est praeparare voluntatem apud Augustinum.

Et in cap. 16 praecedenti eiusdem libri illa duo testimonia eundem sensum reddere docet: "praeparatur voluntas a Dominino" (Prov. 8 [35]), et "Deus est qui operatur in nobis velle" (ad Phil. 2 [13]). Hoc autem testimonium expresse declarat de gratia praeveniente in eisdem locis et saepe alias <sup>27</sup>.

Concordat egregie huic expositioni Prosper libro 2 de Vocatione gentium cap. 10 (alias 3). Ubi loquens de Israelitico populo, ita concludit: *quamdiu ergo apud Deum mansit, illa voluntate mansit, quam Deus inspiravit et rexit; quia praeparatur.*

<sup>25</sup> *De Praedestinatione Sanctorum* 6,11: ML 44,968.

<sup>26</sup> *De gratia et libero arbitrio* 17,33: ML 44,901.

<sup>27</sup> *De gratia et libero arbitrio* 16,32: ML 44,900.

*sicut scriptum est, voluntas a Domino*<sup>28</sup>. Inspirare autem et regere ad praevenientem gratiam spectat. Et ideo paulo antea dixerat, sic Spiritum Sanctum impendere moderationis suae regimen, ut declinandi ad vitia non admittat potestatem.<sup>29</sup>

Denique Concilium Arausicanum cap. 4, ad probandam necessitatem inspirationis divinae et gratiae operantis, quae eadem est cum gratia praeveniente, inducit illud testimonium: "praeparatur voluntas a Domino"; plane sentiens, hoc munus pertinere ad praevenientem gratiam.

Atque hoc ipsum expresse confirmant verba Caelestini papae epistola ad episcopos Galliae cap. 8: *quid tam libero fecistis arbitrio, quam quod universa in nostrae humilitatis conscientiam detulistis; et tamen instinctu Dei factum esse fideliter sapienterque vidistis. Ideo utique quia praeparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium*.<sup>30</sup>

Praeterea clarius hoc ipsum ostendo, quia vocatio [fol. 358r] divina ad gratiam praevenientem pertinet; immo integra et perfecta vocatio totam praevenientem gratiam complectitur, ut expresse significavit Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 5, dicens: *declarat praeterea sancta Synodus, ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse. Exponens autem quid sit haec praeveniens gratia, subdit: hoc est, ab eius vocatione, quia nullis eorum existentibus meritis vocantur. Est ergo gratia praeveniens ipsa vocatio. At vero Augustinus in praeallegatis locis aperte docet, gratiam illam singularem praedestinatorum, qua infallibiliter perducuntur quo Deus vult, esse vocationem quamdam occultam, altam atque secretam. Ergo evidenter loquitur de gratia praeveniente, ac proinde non physice determinante.*

Minor propositio patet ex illo loco de Praedestinatione Sanctorum cap. 8. Ubi gratiam illam dicit esse internam Patris doctrinam. *Valde, inquit, remota est ab oculis carnis haec schola, in qua Pater auditur et docet ut veniatur ad Filium*<sup>31</sup>. Ubi, licet

<sup>28</sup> S. PROSPER, *De vocatione omnium gentium* 2,10: ML 51,695. Ad marginem se añade: *videatur Prosper libro 2 de vocatione gentium cap. 24, alias 9: ML 51,710.*

<sup>29</sup> S. CAELESTINUS I, *Episi. 21 ad episcopos Galliarum* 8,9: ML 50,533.

<sup>30</sup> S. PROSPER, *De vocatione omnium gentium* 2,10: ML 50,533.

<sup>31</sup> *De Praedestinatione Sanctorum* 8,13: ML 44,970.

non habeat nomen vocationis, habet definitionem eius. Quid enim fuit Christo vocare discipulos, nisi dicere: "venite ad me"? Ergo etiam interna vocatio Patris est interior doctrina, qua docet ut veniatur ad Filium. De hac autem vocatione subdit esse gratiam secretam et occultam, quae a *nullo duro corde respuitur*<sup>32</sup>. Non dixit, respui non potest; sed, non respuitur. Et subdit causam: *ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia auferatur*; id est, quia datur ex Dei proposito et congrue, ut aliis locis infra citandis docet.

Atque hanc huius loci expositionem confirmat egregie aliud Augustini testimonium libro 83 Quaestionum q. 68: *quoniam nec velle quasquam potest, nisi admonitus et vocatus (sive intrinsecus ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonapitem aut alio signa visibilia), efficitur ut etiam ipsum vel le Deus operetur in nobis*. Et infra: *vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur*<sup>33</sup>. Est autem hic locus ab Augustino recognitus et probatus libro 1 Retractionum cap. 26, ubi etiam totam hanc doctrinam singulariter confirmat, dicens illam Dei misericordiam, qua dicitur voluntatem nostram praevenire ac preparare, esse vocationem<sup>34</sup>. Cuius vocationis distributionem, quae in toto genere humano et in singulis hominibus pro temporum varietate et opportunitate fit, altae et profundae [fol. 358v] ordinationis Dei esse, in utroque loco confirmat; significans totum hoc negotium, quatenus se tenet ex parte solius Dei operantis, in vocatione, quae hominem hoc vel illo modo praevenit, positam esse.

Qualis autem sit haec vocationis, quando ex Dei firme decreto datur, ut habeat effectum hominemque convertat, et quod hoc non fiat per physicam determinationem sed per praevenientem gratiam peculiari providentia accommodatam, declarat idem Augustinus expressissime libro de Dono perseverantiae cap. 14. Ubi agens de Tyriis et Sydoniis, quibus vocationis illa specialis data non est, concludit: *ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter mirus intelligentiac, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa*

32 *De Praedestinatione Sanctorum* 8,13: ML 44,971.

33 *De diversis quaestionibus* LXXXIII 68,5: ML 40,73.

34 *Retractationes* 1,26: ML 32,628.

conspiciant, etc.<sup>35</sup>. Et hanc gratiam ait dari electis, non dari autem praescitis. Constat autem totam hanc gratiam ad vocacionem et praevenientem gratiam pertinere et ad morale quoddam regimen, non ad physicam praedeterminationem.

Idem latissime q. 2 ad Simplicianum, exponens illud Pauli ad Romanos 9 [13]: "non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, quia maior serviet minori". Ponderat illud "ex vocante", totumque opus gratiae ad initium eius revocat, quod a vocatione sumitur. Et ideo ait, neminem posse de suis meritis gloriari; quia fides, quae Dei donum est, antecedit. Nec de fide, quia Deus eam donavit, *inspirando fidem* ex illa misericordia, quae ita praevenit hominem *ut adhuc infideli vocationem impertiret*. Et infra, neminem ait posse gloriari, etiam si credat volens, et subdit: *quia nemo potest credere, nisi velit; nemo velle, nisi vocetur; nemo autem sibi praestare potest ut vocetur; vocando Deus praestat et fidem*. Et infra: *quid est igitur quod sequitur, non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei? An quia nihil velle possumus, nisi vocati, et nihil valet nostrum velle, nisi ut perficiamus adiuvet Deus? Ut velimus, suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo*<sup>36</sup>. Expende, totam rationem tribuendi soli Deo nostrum velle, esse vocationem. Considera, non dixisse suum determinando; quod profecto dicere debuisset, si sentiret. Nam illo modo velle [fol. 359r] hominis magis esset Dei, quam ipsius hominis; sed dixit, suum est vocando, quia solam vocationem solus Deus operatur.

Sunt etiam in eadem quaestione valde notanda illa verba: *quia non praecedit voluntas bona vocationem, sed vocationem bonam voluntatem, propterea Deo recte tribuitur quod bene volvimus*<sup>37</sup>. Et sic etiam verum dicit illud: "non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis" [Rom. 9, 16]; quia eius vocatio est effectus bonae voluntatis. Quia vero scriptum est, "multi vocati, pauci vero electi" [Mt 20, 16], ait misericordiam Dei specialem circa aliquos esse, *quaer hoc modo vocavit quomodo optum erat eis, qui secuti sunt vocationem*<sup>38</sup>. Ille autem modus non posset esse determinatio physica; tum quia ostensum est praeve-

<sup>35</sup> De Domo perseverantiae 14,35: ML 45,1014.

<sup>36</sup> De diversis quaestionibus ad Simplicianum 1,2,95: ML 40,116s.

<sup>37</sup> De diversis quaestionibus ad Simplicianum 1,2,12: ML 40,118.

<sup>38</sup> De diversis quaestionibus ad Simplicianum 1,2,12s: ML 40,118.

nientem gratiam, qualis est vocatio, non habere hanc efficacitatem physice determinantem, tum etiam quia repugnat praeditis verbis, quibus non in physica determinatione, sed in vocacione congrua et accommodata ponit totum negotium et mysterium gratiae singularis. Prolixa res esset totam illam quaestionem hic transcribere et ponderare. Tamen si attente et sincere legatur, tot habet argumenta hanc sententiam confirmantia, quot verba. Estque illa quaestio magnae auctoritatis inter opuscula de gratia ex sententia omnium auctorum, quia ab eodem Augustino recognita et commendata est libro 2 Retractionum initio capititis 39. Obiter autem notetur, quod de non electis ibidem ait: *ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit quae moveri non possavit, ut eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi* 40. Est enim durum quod ait, ita esse vocatos ut moveri non possent; alioqui quomodo verum est fuisse sufficienter vocatos? Sed vel intelligit cum compositione non posse cum effectu, vel certe non intelligit ut non possent moveri ad fidem absolute, sed non potuisse moveri congruenter et accommodate ad eorum dispositionem. Hoc est enim quod ait: *ut eam capere apti essent.*

Est praeterea ad eamdem veritatem confirmandam expres [fol. 359v]sus (ut mihi quidem videtur) eiusdem Augustini testimonium libro de Spiritu et Littera, in quo, seipso teste libro 2 Retractionum cap. 37, acriter contra inimicos gratiae disputavit 41. In illo igitur libro cap. 34, agens de voluntate credendi, sic loquitur: *non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concretum est, verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus ut velimus et ut credamus, sive extrinsecus, [...] sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quod ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est* 42. Unde aperte constat in suasione illa interna, quae divinitus fit, potiere Augustinum illam efficacitatem gratiae, per quam Deus nostram inducit voluntatem. Unde concludit: *his ergo modis quando Deus agit cum anima rationali ut ei credit, neque enim credere potest quod-*

39 *Retractiones* 2,1: ML 32,629s.

40 *De diversis quaestionibus ad Simplicianum* 3,2,13: ML 40,118.

41 *Retractiones* 2,37: ML 32,646.

42 *De Spiritu et Littera* 34,60: ML 44,240.

*libet libere arbitrio, si nulla sit suasio et vocatio cui credat, profecto et ipsum velle credore Deus operatur in homine et in omnibus misericordia Eius praevenit nos. Consentire autem vocatio ni, sicut dixi, vel ab ea dissentire, propriae voluntatis est* <sup>43</sup>.

Solam ergo divinam vocationem dicit esse gratiam illam, qua divina misericordia nos praevenit. Hanc vero tantum abest ut dicat praedeterminare voluntatem nostram, ut potius illa supposita soli libertati voluntatis tribuere videatur assentire vel dissentire, ita ut aliqua nostra explicatione indigeat. Nam dissentire solius voluntatis est; assentire autem libertatis est non solius, sed cum adiuvante gratia; quam his Augustinus non expressit vel quia res erat clara in sua doctrina, vel quia ipsam vocatio, quae nos praevenit, adiuvat postea, ut infra ex eodem Augustino adnotabimus. Cum autem Augustinus in sensu etiam composito respectu vocationis expresse dicat, illa posita propriae voluntatis esse consentire vel dissentire, aperte supponit vocationem non determinare physice voluntatem.

Expendi praeterea ad rem praesentem potest discursus Augustini tractatu 26 in Ioannem, ubi Augustinus fuse et eleganter tractat verba illa Christi: “nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum” [Io 6, 44]. Et primo ponit obiecti onem, dicens: *quid hic dicimus, fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas exercitatur!* Respondet: *Noli cogitare te invitum trahi; trahitur animus et amore.* <sup>44</sup>. Quod variis modis declarat. Et infra ponderans fidem et confessionem Petri, “tu es Christus Filius Dei vivi” [fol. 36or], subdit: *vide quia tractus est, et a Patre tractus est, beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelarunt tibi, sed Pater meus qui in caelis est. Ipsa revelatio est attractio* <sup>45</sup>. Ubi revelationis nomine non nudam obiecti propositionem, sed totam vocationem intelligit, ut circa sequentia verba, “erunt omnes docibiles Dei” [Io 6, 45], paulo inferius declaravit dicens: *etsi ab hominibus audirent, tamen quod intelligunt intus datur intus coruscat, intus revelatur* <sup>46</sup>. Et infra: *videte quomodo trahit*

<sup>43</sup> Todo este pasaje desde las palabras “vide aperte”, omitido por error evidente del copista, ha sido añadido al margen.

<sup>44</sup> In Ioannis Evangelium tr. 26 n. 28: ML 35.1607s.

<sup>45</sup> In Ioannis Evangelium tr. 26 n. 5: ML 35.1600.

<sup>46</sup> In Ioannis Evangelium tr. 26 n. 5: ML 35.1600.

*Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo*<sup>47</sup>. Totam ergo hanc tractionem in vocatione constituit.

Et ideo advertit idem Augustinus libro 1 Contra duas epistolas Pelagianorum cap. 19, non dixisse Christum nisi *Pater mens duxerit eum*, quo verbo ad summum posset gratia adiuuans indicari; sed *traxerit eum*, ut necessitatem gratiae excitantis doceret<sup>48</sup>. Huic autem tractioni duos effectus proximos tribuit Augustinus, per quos Deus voluntatem excitat, allicit atque in hunc modum ad se trahit: scilicet veritatem proponere et interius illustrare (quia *nihil fortius animus desiderat quam veritatem*), et voluptatem ac delectationem infundere (quia *trahit sua quemque voluptas*). Quod illis exemplis declarat: *ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam; mices puero demonstrantur, et trahitur*<sup>49</sup>. Quibus declarat tractionem hanc non aliter fieri quam per illuminationem internam obiecti et inspirationem et affectionem voluntatis; quibus delectabile fiat quod proponitur. Et quando haec duo fiunt modo accommodato ut hominem cum effectu moveant, tunc est vocatio secundum propositum, ut loquitur idem Augustinus libro de Praedestinatione Sanctorum cap. 3 et 19<sup>50</sup>; secundum propositum, inquam, non hominis, sed Dei volentis salvare hominem, et propterea dantis illi congruam et accommodatam vocationem, ut citatis locis ad Simpliciarum et de Praedestinatione Sanctorum et Dono perserverantiae declarat, et libro de Correptione et gratia cap. 7, et libro 2 Contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9<sup>51</sup>. Et praeterea eidem vocationi tribuit eisdem locis, semper habere effectum, quia ex certa Dei scientia congruenter confertur.

Atque ita etiam intelligi potest quod dicit libro 2 de Peccatorum meritis cap. 19: *Dominum Deum bonum idco etiam Sanctis suis alicuius operis iustitiam aliquando non tribuere, vel certainam scientiam* [fol. 36ov] *vel victricem delectationem, ut cognoscant tene- non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminantur tene-*

47 In Iohannis Evangelium tr. 26 n. 7: ML 35,1610.

48 Contra duas epistolas Pelagianorum 1,19,37: ML 44,568.

49 In Iohannis Evangelium tr. 26 n. 5: ML 35,1600.

50 De Praedestinatione Sanctorum 3,7 19,39: ML 44,965,989.

51 De diversis quaestionibus ad Simpliciam 1,2,13: ML 40,118; De praedestinatione Sanctorum 8,15: ML 44,972; De Dono perserverantiae 44,35: ML 45,101,48; De Correptione et gratia 7,14: ML 45,924; Contra duas epistolas Pelagianorum 2,10,22: ML 44,586s.

*brae eorum, et suavitatem, qua det fructum suum terra eorum* <sup>52</sup>. Ubi per certam scientiam intelligere possumus vel certam scientiam quam Deus habet de futuro effectu si talem vocationem praebat, vel (magis ad mentem Augustini in eo loco) illuminationem interiorem accommodatam unicuique ad expellendas nebras eius. Per victricem autem delectationem intelligit suavitatem congruam voluntati, ut sublevetur et dirigatur ad videndas difficultates. Constat autem totum hoc ad gratiam praevenientem pertinere, quam eo loco etiam adiuvantem vocat; quia eadem quae praevenit, postea nos adiuvat, ut infra attingemus.

Ultimo, ut hoc fundamentum concludamus, insinuabo solum quae fuse de hoc argumento tractat Augustinus *epistolis* 105, 106 et 107. In quarum prima his verbis totum ordinem et effectum gratiae complectitur: *gratia Dei per Iesum Christum non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei et timoris Dei salubriter impartito orationis affectu et effectu, sanat infirmitatem nostram* <sup>53</sup>. Expende verbum illud: *prius inspiratione fidei et timoris*. Haec enim est gratia excitans, ut Concilium Tridentinum declaravit. Per illam ergo dicitur Deus operari in nobis fidem, timorem et spiritualem sanitatem. Hanc etiam gratiam, adiuvantem vocat in epistola 106. sensu proxime explicato; et per illam dicit operari Deum in nobis velle et perficere (Phil 2 [13]). Et tandem dicit esse vocationem de qua scriptum est (Rom. 8 [30]), “quos praedestinavit, hos et vocavit”; addens: *hic subaudire debemus secundum propositum; sunt enim et alii vocati sed non electi, et ideo non secundum propositum vocati. Quos autem vocavit secundum propositum, illos et iustificavit* <sup>54</sup>. Ecce quomodo singularem illam electorum gratiam ponit in vocatione singulari et accommodata. Et ideo vocat illam ex proposito, utique absoluto et efficaci salvandi hominem. Et idem repetit in epistola 107, ubi fuse declarat vocationem illam non consistere in sola lege aut doctrina, sed in inspiratione occulta per quam praeparatur [fol. 361r] voluntas a Domino, et per quam Deus operatur in nobis velle et perficere. Appellat etiam illam vocationem

52 *De peccatorum meritis et remissione* 10,32: ML 44,170.

53 *Epist. 104,6,30*: ML 33,885.

54 *Epist. 106,1,3; 7,25*: ML 33,817,825.

altam atque secretam, *per quam Deus sic hominis agit seu motet sensum ut legi atque doctrinae accommodet assensum*<sup>55</sup>.

Totam ergo hanc efficacitatem reducit Augustinus ad hanc vocationem. Si ergo vocatio non inducit physicam determinacionem, ut suppositum ac probatum est, plane non loquitur Augustinus de efficacia praedeterminationis physicae, sed de alio genere moralis motionis et inductionis, quem optime insinuant verba proxime citata; quod nimur Deus ita per hanc gratiam praevenientem agit sensum interiorem hominis, ut tandem ille accommodet assensum. Recte enim dicitur Deus agere sensum hominis, quia in recipienda vocatione et hac gratia praeveniente interiori homo non movetur libere, sed recipit a Deo internam illuminationem et inspirationem. Per eas tamen inducitur homo ut accommodet assensum, voluntarie ac libere cum adiutorio eiusdem gratiae illum tribuendo.

Confirmari hoc potest ex doctrina eiusdem Augustini libro de Correptione et gratia cap. 14 et latius libro de Gratia et Libero arbitrio cap. 20 et 22<sup>56</sup>. Ubi late exponit hunc motionis modum, quo Deus interdum utitur in cordibus etiam malorum hominum non ex misericordia sed ex iudicio, reddens eis secundum merita corum, immutans eorum consilia et eorum corda, vel convertens vel permittens converti, ut iustum esse iudicat; non per physicas determinationes voluntatum humanarum, sed per alium sapientissimum modum providentiae suaee, libertati humanae suaequae infinitae sapientiae ac suavi providentiae accommodatum.

Tandem, quod magnum argumentum est, ita intellexerunt Augustini mentem duo gravissimi eius discipuli et insignes gratiae propugnatores, Prosper et Fulgentius. Ille enim ad obiectiones Gallorum cap. 5 et 6 diversitatem gratiae in electis et non electis per differentiam vocationis declarat. Nam electorum interiores sensus Deus aperit, ut in eorum cordibus fidei fundamentum ponat<sup>57</sup>. Quomodo autem hoc Deus in electorum cordibus operetur, explicat libro 2 de Vocatione gentium cap. 23 et cap. 26 (alias 8). Et in priori quidem docet dari specialem vocationem

55 Epist. 217, 2, 5: ML 33, 980.

56 De Correptione et gratia 14, 43: ML 44, 942; De gratia et libero arbitrio 20-22  
ML 44, 905-910.

57 S. PROSPER, Pro Augustino responsiones ad capitula obiectorum Gallorum  
. clamantium 5: ML 51, 160.

[fol. 36iv] excellentiori opere, largiori munere, potentiori virtute electorum corda pulsantem. Non dicit physice determinantem<sup>58</sup>. In altero vero subiungit; hanc quippe abundantiorem gratiam ita credimus et experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam. Et infra: gratia quidem in omnibus iustificationibus principaliter praeceminet suadendo exhortationibus, in modo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando et fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei atque coniungitur, quae ad hoc praedictis est excitata praesidiis ut in se divino cooperetur operi et incipiat exercere ad meritum quod supremo semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiae opitulatione si proficit. Quae opitulatio per innumeros modos, sive occultos sive manifestos omnibus adhibetur; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod autem a multis suscipitur, et gratiae est divinae et voluntatis humanae. Et infra: ipsa gratia hoc in omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem vocat primam sibi receptionem et famulam donorum suorum praeparat voluntatem<sup>59</sup>. Expendamus verbum praeparandi prout supra fecimus, et notemus omne auxilium gratiae ad praeparandam, non ad physice determinandam voluntatem ordinari; modum autem praeparationis esse moralem et per excitantem gratiam, ut latissime in superioribus verbis Prosper explicuit. Idem optime contra Collatorem cap. 10<sup>60</sup>.

Eodem modo initium gratiae et praeparationem voluntatis per divinam vocationem explicat Fulgentius libro 1 ad Monimum a cap. 8 ad 17<sup>61</sup>. Quae prolixum hic esset referre et non necessarium, quia doctrina eadem est.

Hi ergo Patres in Augustini doctrina non agnoscunt aliam gratiam antecedentem nostrum consensum et generantem illum, nisi gratiam vocationis, comprehendentem gratias omnes prævenientes, quibus determinatio illa physica tribui non potest. Ergo nec Augustino potest tribui. Quod ex sequenti fundamen-

58 s. PROSPER, *De vocatione omnium gentium* 2,23: ML 51,710.

59 s. PROSPER, *De vocatione omnium gentium* 2,26: ML 51,711s.

60 s. PROSPER, *Contra Collatorem* 10,3: ML 51,241.

61 s. FULGENTIUS, *Ad Monimum* 8ss: ML 65,157ss.

to amplius explicabitur; quod necessarium visum est ut omnibus satisfaciamus [fol. 362r].

### TERTIUM FUNDAMENTUM.

Quoniam praeter gratiam praevenientem vel operantem necessaria est gratia adiuvans seu cooperans, haesitare potest aliquis quomodo ex dicto fundamento absolute concludatur Augustinum nulli auxilio gratiae tribuisse hanc efficacitatem determinandi physice voluntatem humanam. Et ideo addimus hoc fundamentum, in quo addimus, ubicumque loquitur Augustinus de cooperante gratia, numquem tribuere illi hunc effectum, sed potius oppositum significare. Unde potest integra ratio sic formari: omnis gratia actualis, per quam Deus efficit supernaturales actus humanos nostrae voluntatis, sufficienter dividitur in praevenientem et concomitantem seu cooperantem; sed per neutram eorum determinat Deus physice hominis voluntatem secundum Augustinum; ergo per nullam.

Maior propositio, praeterquam quod constat ex communione Scholasticorum sententia et (quod caput est) ex doctrina Concilii Tridentini sess. 6, ubi sub nominibus excitantis et adiuvantibus gratiae illa duo membra complectitur et nullum aliud agnoscit, colligitur etiam sufficienter ex doctrina Augustini locis proxime adductis; ubi vocatione semper adiungit adiutorium seu cooperationem Dei; et his duobus membris totum gratiae influxum contineri putat. *Nihil (ait ad Simplicianum) velle possumus nisi vocati; et nihil valet nostrum velle, nisi ut perficiamus adiuvet Deus*<sup>62</sup>. Ecce vocationem et adiutorium, quibus totus gratiae influxus continetur. Et in Enchiridio cap. 32: *totum, inquit, Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adiuvandam, et adiuvat praeparatam*<sup>63</sup>. Ergo cum hoc secundo genere gratiae totum Deo sufficienter datur, nec aliud fingere necesse est, nec in Augustino habet fundamentum. Nam licet ibidem Augustinus subsequentem gratiam addere videatur, dicens *nolentem praevenit ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit*, tamen haec gratia non est diversa in re a praedictis, sed eadem sub diverso

<sup>62</sup> *De diversis quaestionibus ad Simplicianum 1,2,10: ML 40,117.*

<sup>63</sup> *Enchiridion 32,9: ML 40,248.*

respectu. Nam gratia, quae dicitur adiuvans respectu operationis seu voluntatis, dicitur subsequens respectu prioris gratiae; et secunda gratia praeveniens dici potest subsequens respectu prioris gratiae, licet respectu voluntatis praeveniens sit. Sit ergo constans, omne gratiae auxilium sub altero illorum duorum membrorum contineri [fol. 362v].

Iam vero quod praeveniens gratia non habeat determinare physice voluntatem, satis superque probatum est in superiori fundamento. Possetque (ut existim) ratione evidenter convinci, quia tota illa gratia consistit in illuminationibus et inspirationibus seu naturalibus, id est non liberis, quibusdam affectibus et motibus voluntatis, qui non possunt connaturalem vim habere ad physice determinandam illam. Sed quia haec pars (ut dixi) iam non negatur, in illius probatione amplius non immoror, et venio ad alteram partem de gratia adiuvante seu cooperante, cui aliqui nunc tribuunt hanc efficacitatem determinandi physice voluntatem humanam.

A quibus in primis postulo ut vel unum Augustini testimonium prodant, in quo efficacitatem hanc adiuvantи gratiae tribuat. Nam de omnibus, quae in prioris opinionis confirmationem adducta sunt, ostensum aperte est, in illis non esse sermonem de gratia adiuvante, sed de praeveniente. Illa autem testimonia sunt potissima, nec aliud facile occurret, nec ab adversariis hactenus allegatum est, quod aliam doctrinam contineat.

Non omittam autem advertere, interdum Augustinum tribuire etiam gratiae illi, qua Deus nostram voluntatem praevenit, eamdem adiuvare, ut libro 2 Contra duas epistolas Pelagianorum cap. 9 inquit: *Dominus admonet ut prae paremus voluntatem, in eo quod legimus hominis est prae parere cor* [Prov. 16, 1]; *et tamen ut hoc faciat homo, adiuvat Deus, quia prae paratur voluntas a Domino* [Prov. 8, 35]<sup>64</sup>. Eadem enim gratia, qua Deus praevenit voluntatem et ita illam praeparat, adiuvat deinceps illam, cooperando per eamdem gratiam praevenientem et influendo in consensum illius. Sicut autem ostendimus, illam gratiam praevenientem (quae non est aliud quam vocatio interna) non determinare physice voluntatem, ita certum est non adiuvare phy-

sice determinando, sed alio altiori modo sublevando infirmitatem voluntatis. Nec nomen ipsum adiuvantis, cooperantis, vel concomitantis gratiae aliam requirit efficaciam; neque Augustinus umquam illam significavit.

Quis potius afferre possumus varias locutiones Augustini, in quibus aperte significat, supposita divina vocatione, determinationem voluntatis ipsi recte tribui quia [fol. 362r] non omnino determinatur ab alio sed a se, quamvis non sine Deo etiam adiuvente. Hunc plane sensum habent verba illa Augustini libro 83 Quaestionum q. 68: *vocatio ante omne meritum voluntatem operatur; propterea, etsi quisquam sibi tribuat quod veniat vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit*<sup>65</sup>. Quid, quæso, est venire, nisi se determinare ad consentiendum vocationi? Ergo supposita vocatione, non male tribuitur voluntati secundum Augustinum, quod veniat ac se determinet. Non ergo determinatur post vocationem ab aliqua gratia antecedente, quae cooperans sit. Alias non solum non posset quis sibi tribuere quod vocatus sit, verum etiam nec quod determinatus sit, et consequenter nec etiam quod venerit; quia idem sunt.

Simile est illud ad Simplicianum: *ut velimus, suum esse voluit et nostrum; suum vocando, nostrum sequendo*<sup>66</sup>. Nam in verbo sequendi determinationem voluntatis intime esse inclusam, manifestum est. Si ergo voluit Augustinus nostrum esse sequi, nostrum etiam voluit non determinari ab alia antecedente gratia, quam post vocationem non agnoscit Augustinus, ratione cuius tribuatur Deo nostrum velle. Alias etiam et multo magis, dicere debuisset: ut velimus, suum esse voluit nos determinando.

Ad hoc magis explicandum, considero Augustinum numquam tribuere soli Deo ea quae fiunt ab adiuvante gratia, sed Deo et nobis, licet principalius Deo. Et ideo dicit esse necessariam gratiam vocationis, ratione cuius nostra bona opera in solam Dei voluntatem reducuntur, quia dare vocationem solius divinae voluntatis est. Ergo numquam Augustinus intellexit Deum per gratiam adiuvantem operari in nobis sive nobis, sed per excitantem et vo-

65 *De diversis quaestionibus* LXXXIII 68,5: ML 40,73.

66 *De diversis quaestionibus ad Simplicianum* 1,2,10: ML 40,117.

cantem, ut apertissime docet in Enchiridio cap. 32<sup>67</sup>. Ergo nulla est adiuvans seu cooperans gratia, qua Deus solus determinet voluntatem nostram. Ergo nulli auxilio gratiae talis effectus tri-buendus est.

Hoc vero et fere praecedens fundamentum enervari potest distinctione quadam, nuper inventa, de dupli gratia [fol. 363v] praeveniente, una moraliter movente et excitante voluntatem, altera movente physice et applicante cum effectu ipsam voluntatem ad suam conversionem et consensum. Aliqua enim huiusmodi Dei motio necessaria est ad omnes actiones humanae voluntatis; et ideo in actibus supernaturalibus requiritur talis motio, quae sit gratia. Et quia ut est a Deo praecedit ordine naturae, ut sic merito dicitur praeveniens. De priori ergo concedunt non determinare physice voluntatem; et de illa voluit loqui Concilium Tridentinum sess. 6 can. 4. Et ideo totam praevenientem gratiam, sufficientem tantum appellat et non efficacem. De posteriori vero aiunt, determinare physice voluntatem, quia est vel physicum principium eius infallibiliter secum habens coniunctam actionem, vel certe est ipsamet actio, qua Deus movet efficaciter voluntatem ad volendum actu. Et ideo hanc gratiam dicunt esse proprium auxilium efficax.

Videturque haec distinctio insinuari in Enchiridio, edito a Concilio Provinciali Coloniensi anni 1536 ut in titulo eius dicitur. Ibi enim, tit. De sacramento paenitentiae, § Sed iterum impii, vers. Septimo retinendum est, duplex distinguitur gratia praeveniens. Et his verbis declaratur: *una, qua Deus praevenit peccatorem ut resurgat; altera, qua peccator, praevenienti Deo assentiens, iam resurgit*<sup>68</sup>. Quae verba non videntur in alio sensu posse commode explicari.

Sed in primis, quoad rem praesentem attinet, illa distinctio duplicitis gratiae praevenientis in eo sensu declaratae nullum fundamentum habet in sententia Augustini. Nam in omnibus locis citatis loquitur aperte de gratia praeveniente priori modo; cui tribuit praeparare voluntatem hominis ut velit per illuminationem et inspirationem, per quas facit ut velimus. Item hanc gratiam praee-

67 *Enchiridion 32.9: ML 40,247s.*

68 *Enchiridion christianaे institutionis...* Publicado por Juan Gropper en su edición del Concilio de Colonia: *Canones Concilii Provincialis Coloniensis..... quibus adiectum est Enchiridion christianaē institutionis*, Coloniae 1538.

venientem vocavit semper operantem, seu per quam Deus solus sine nobis (utique merentibus aut libere operantibus) operatur ut velimus; quamvis ipsum velle nostrum non operetur sine nobis libere consentientibus. Praeter loca autem a nobis citata nullum affertur aliud, in quo alium modum praevenientis gratiae Augustinus tradat. Deinde Concilium Tridentinum non [fol. 364r] aliam nos docuit praevenientem gratiam nisi excitatem et vocantem; quam etiam praevenientem Spiritus Sancti inspirationem appellavit can. 3; et can. 4 appellat motionem, cui voluntatem nostram cooperari dicit. Non ergo cogimur ex sententia Augustini aut ex aliquo testimonio fidei illam distinctionem admittere. Quia omnia testimonia Scripturae sufficientissime explicantur de gratia cooperante iuxta sensum Augustini, seu de excitante et adiuvente, quae eadē sunt, apud Concilium Tridentinum; et antiquiora Concilia Milevitanum et Arausicatum de nulla alia gratia praeveniente locuta sunt.

Possunt tamen respondere, quo ad usum vocis pertinet, verum forte esse dictos Patres solum appellasse praevenientem gratiam dictam excitationem et inspirationem ac illuminationem, quia loquebantur de tali gratia praeveniente, quae, quantum est ex se, potest antecedere etiam tempore. Nihilominus tamen, quo ad rem spectat, posuisse etiam alteram motionem, quam sub gratia adiuvante seu cooperante comprehendenderunt. Hanc vero ipsam, ad eius efficacitatem explicandam, merito posse nos et debere praevenientem appellare, quatenus naturae ordine antecedit; licet dicatur cooperans quatenus simul aliquo modo est cum influxu nostrae voluntatis. Quae responsio cogit nos, ut a praecissa disputatione de mente Augustini aliquantulum divertentes, rem ipsam breviter examinemus, ut ita clarius ad veram Augustini sententiam, id est ad veritatem ipsam explicandam redeamus.

Interrogo ergo in primis, an haec gratia praeveniens in secundo sensu supra posito, sit aliqua res seu realis motio, quae in nobis fiat, vel sit tantum ipsa efficax voluntas Dei, qua vult nos movere vel nobiscum concurrere ad supernaturales actus. Si hoc secundo modo sit sermo, facile concedemus voluntatem illam divinam secundum se, seu quoad esse, praecedere nostram non solum natura, sed tempore et aeternitate; quatenus ex se preparata intelligitur ad efficiendum in nobis vel nobiscum tali tempore

talem effectum. Sed numquam Augustinus hanc voluntatem vocavit proprie gratiam praevenientem, nec nos de illa nunc loquimur, sed de gratiae auxiliis seu motionibus, quae in nobis sunt.

Praeterea voluntas Dei dupli[*fol. 364v*] citer a nobis consideratur, etiam iuxta doctrinam Augustini: scilicet, vel ut praedestinans seu praeconiens, vel ut exsequens. Priori modo non est per sese activa in nobis, sed ex vi illius applicantur gratiae accommodatae ad actum praefinitum. Et de hac voluntate saepius loquitur Augustinus, illamque sub praedestinatione concludit. Et ita haec voluntas vel praedestinatio per se non determinat physice; an vero per aliud id faciat, ex aliis motionibus seu mediis quibus utitur, colligendum est. Voluntas autem ut exsequens dupliciter tantum potest operari in nobis: scilicet, vel dando principium aliquod supernaturale ad volendum, vel concurrendo ad ipsum velle. Illud prius non facit nisi infundendo habitus (quod ad praesens non spectat), vel per motionem propriam gratiae exitantis: de quibus hactenus diximus. Unde constat talem voluntatem divinam non aliter movere voluntatem nostram, quam moveant dictae motiones et excitationes; quia per illas solum movet. Et si quid aliud fingitur, nec fundamentum habet in Augustino vel Conciliis, nec explicari potest quid vel quale illud sit. Haec ergo Dei voluntas comprehenditur sub gratia praeveniente primo et proprio modo sumpta, tamquam proprium principium eius et tamquam operans per illam. Quod si sit sermo de voluntate Dei ut praebente concursus actualem ad consensum, sic eius consideratio non pertinet ad principia gratiae sed communis est omnibus actibus voluntatis, etiam naturalibus, non solum bonis sed etiam malis, ut statim in principio quaestionis in primo puncto notavi. Nec inventur apud Augustinum vel alios Patres aut Concilia, quod in hoc genere aliquid peculiare tribuant operibus gratiae quantum ad modum concurrendi vel praemovendi per ipsum concursum. Nec est illa necessitas id fingendi, cum necessitas huius concursus, ex eadem subordinatione et dependentia secundae causae a prima oriatur; quae in modo eadem est, quamvis quoad genus actionis sit altioris ordinis et requirat influxum Dei altioris ordinis; sicut ad actiones spirituales necessarius est concursus spiri-

tualis, atque ita aliorum quam ad actiones corporales, non tamen alio modo datus, nec cum alia motione. [fol. 365r].

Quod si dicant (ut sentire videntur), hanc motionem praevenientem esse aliquid in nobis receptum, pertinens ad ordinem gratiae, postulabo rursus, an sit aliquid distinctum ab ipso actu naturali quo voluntas consentit et ab intrinseca emanatione eiusdem actus a nostra voluntate, vel sit ipsem actus quatenus prius natura emanat a Deo quam a nobis. In hoc enim variant auctores contrariae sententiae. Quidam existimant, hanc gratiam praevenientem esse motionem quamdam impressam a Deo solo nostrae voluntati, realiter distinctam a libero consensu eiusdem voluntatis, eamque ad illum ita determinantem ut illa motione posita nulla ratione possit nostra voluntas non prodire in actum propter quem datur illa motio. Quod si inquiras, quidnam sit haec motio, per quid fiat, et ad quid terminetur, et quae sit necessitas eius, respondent necessitatem esse ut causa secunda ultimate applicetur, moveatur et perficiatur a Deo ad efficiendum suum actum secundum. Quia causa agens efficiendo perficitur, cum exeat de potentia in actum; necesse est ergo ut in se recipiat id quo perficitur, quod necessario esse debet proportionatum actioni, et a Deo ut a prima causa proportionata. Ergo in ordine ad actus supernaturales debet esse efficax motio gratiae, quae non per aliam sed per seipsam fit, nec terminatur ad aliud quam ad ipsummet actum quem voluntas libere elicit. Est enim actio et influxus Dei in talem seu ad talem actum. Hic enim influxus seu concursus Dei tam in his actibus, quam in omnibus actionibus causarum secundarum quasi duas partes vel actiones habere dicitur: unam in ipsam causam secundam, ut igne verbi gratia, vel in potentia ipsa voluntatis, cui praebet peculiarem quedam modum et applicationem necessariam ut eliciat actum; quam necesse est esse a solo Deo, quia omnino praecedit actionem causae secundae, quae nondum completa intelligitur cum omnibus conditionibus antecedentibus requisitis ad agendum, sed ad hoc datur ut illa compleatur. Aliam in ipsam actionem causae secundae, ignis verbi gratia vel voluntatis, quia etiam necesse est ipsam actionem immediate manare a Deo, non tamen solo, sed simul cum causa seu voluntate iam completa in actu primo et applicata. Unde influxus [fol. 365v]. Dei quoad hanc secundam partem dicitur esse simul cum influxu

voluntatis seu causae secundae; quoad priorem vero partem dicitur antecedere ordine naturae et causalitatis, quia illa prior motio est ratio et causa ipsius actionis causae secundae. Illa ergo est quae in operibus gratiae dicitur determinare nostram voluntatem.

Haec sententia sic exposita redit ad primum fundamentum de subordinatione causae secundae ad primam quoad actualem concursum per modum actualis motionis vel applicationis praeviae et realiter distinctae ab ipsa actione causae secundae. Quod fundamentum, ut alienum a materia de divina gratia in qua versamur, supra reliquimus. Quia vero adversarii semper ad illud redeunt et Augustino tribuunt, postulamus vel unum verbum Augustini in quo illum motionis modum indicet. Nam in omnibus libris vel opusculis de gratiae necessitate et efficacia nihil tale potuimus invenire.

Deinde auctores, qui sic philosophantur, totam causam ex parte Dei cur ex duobus vocatis unus consentit alias non consentit, ponunt in hac parte concursus divini actualis, quae consistit in illa praevia motione ex parte potentiae et in reliquis auxiliis excitantibus, id est in inspirationibus, illuminationibus, etc. non censent esse aequales eos, quorum unus convertitur et non alias. At Augustinus numquam posuit hanc differentiam in tali motione, sed in ipsam vocatione, quae unum ita suadet ut etiam persuadeat, et non alium.

Praeterea illa motio, ut praevia est, non est actus vitalis nec in illa recipienda nostra voluntas active se habet, sed mere passive ut per illam afficiat suum actum. Augustinus autem semper explicat illam gratiam antecedentem et differentiam eius qui convertitur ab eo qui resistit, per actus vitalis percipiendi veritatem et delectandi se in veritate proposita terroris etc., ut in secundo fundamento late explicatum est.

Ad haec, Augustinus revocat differentiam in vocationem aliam atque secretam. At si negotium totum consistit in illa motione, nullum [fol. 366r] est secretum nec mysterium proprium gratiae, sed eadem ratio differentiae erit in hoc genere actuum, quae est in omnibus aliis operibus voluntatis, etiam peccatis. Nam ex duabus aequaliter tentatis, unus consentiet determinatus a Deo, alias non consentiet quia non moveretur a Deo concurrente cum ip-

so. Haec ergo satis indicant quam sit haec ratio dicendi a mente Augustini aliena.

Quam vero in se difficilis sit, variis modis demonstrare possem. Sed quia hoc non est hic per se intentum, indicabo solum.

Primo enim illi auctores coguntur similem præmotionem diuinam ponere ad omnes actus ordinis naturalis, etiam peccaminosos. In quo et nihil peculiare quoad hanc partem gratiae tribuunt, et vix explicare possunt quomodo consensus hominis in peccatum non principaliter refundatur in Deum.

Secundo difficillimum est iuxta illam sententiam intelligere quomodo voluntas nostra libere se exerceat in actum consentiendi. Nam stante tota gratia excitante (ut in nostra materia loquamur) sufficiente ac necessaria ad volendum, voluntas non potest prodire in actum volendi nisi prius natura a Deo recipiat illam motionem actualem, quae dicitur esse distincta realiter ab actu volendi et ad illam non active sed passive tantum concurrere voluntatem nostram. Posita autem illa motione, impossibile est voluntatem contineri quin eliciat actum. Ubi est ergo libertas? Parum enim refert, quod haec necessitas sit suppositionis vel sensus compositi, cum suppositio antecedat independenter omnino a voluntate agente, et necessitate naturali secum afferat influxum in actum non solum ex parte Dei, sed etiam ex parte voluntatis.

Tertio non minus, sed fortasse magis difficile ad intelligendum, quomodo sit in manu hominis habere hanc motionem a Deo, qua determinetur ad consensum. Nam receptio non est in manu patientis, sed agentis; quia libertas formaliter non consistit in passione, sed in actione, ut satis significavit Concilium Tridentinum sess. 6 can. 4. Sed ad hanc mo[fol. 366v]tionem tam-tum passive se habet nostra voluntas iuxta illam sententiam, quae prorsus destruitur si dicatur voluntas nostra agere hanc motionem (quia iam non erit re ipsa distincta ab actione voluntatis nostrae, nec prior causalitate quam effectus eius, solum ergo passive ad illam se habet); ergo formaliter (ut sic dicam) non est in manu eius. Non vero dici potest esse antecedenter, seu secundum aliquam dispositionem. Quid enim aget voluntas nostra ut illam motionem a Deo recipiat? Quidquid enim illud esse dicatur, vel est actus liber vel non. Hoc secundum constat dici non posse, quia actus non liber nec dispositio humana est, nec est in

hominis potestate. Si vero dicatur primum, ad illum requiritur alia motio, et de illa iterum quaeram; et sic procedemus donec vel sistamus in dispositione libera ad quam non sit necessaria illa motio (quod est contra hypothesisim), vel fateamur non esse in potestate voluntatis se disponere, et consequenter nec habere illam motionem. Quod si hoc tandem concedant, consequenter etiam fateantur necesse est, non peccare hominem sufficienter vocatum, qui non consentit; quia non habuit a Deo hanc motionem sine qua exire non potuit in consensum liberum, et ad illum recipiendam nihil agere potuit, neque etiam illi ponere impedimentum contrarium nisi ex contraria etiam motione, per quam Deus suo etiam arbitrio illum praevenit.

Quarto explicare non possunt, quid sit haec motio. Nam si est pura actio, et ideo per seipsam fit, quem habet terminum? Neque enim dicere possunt nullum habere, quia hoc de omni actione sine ulla probabilitate dicitur; et licet fortasse in immanentibus tolerari posset, non tamen in transeuntibus; illa autem motio, cum sit actio solius Dei, transiens est. Si vero habet pro termino ipsum actum volendi, quomodo ponitur ab illo realiter distincta? Cum actio, praesertim transiens, non distinguatur a termino. Item ad illum actum est alia actio, quae simul est a Deo et voluntate. Quid ergo necesse est etiam actionem multiplicare? Si autem illa motio est qualitas aliqua (tertium enim membrum fingi [fol. 367r] non potest), illa fiet a Deo per propriam actionem, vel immanentem in Deo, vel transeuntem in voluntatem nostram, iuxta varias opiniones quae ad praesens non referunt.

Quinto illa actio ut sic non amplius movet nisi ad illam qualitatem, et illa qualitas postea erit principium agendi cum ipsa voluntate et indigebit suo actuali influxu Dei ut primae causae. Ergo oportebit hunc influxum prius iterum recipi in illa qualitate, et sic in infinitum. Vel certe, si in illa necessaria non est nova motio, nec in calore vel voluntate aut aliis principiis agendi erit necessaria illa nova qualitas ex ratione subordinationis ad primam causam, sed solum actualis influxus in suam actionem ultra virtutem agendi, quam dari etiam et conservari a prima causa necesse est.

Propter hoc ergo alii tandem dicunt hanc motionem non esse rem distinctam ab ipsomet actu voluntatis, quo consentit libere

Deo prius natura influente in ipsummet actum. Qui influxus non est quidem res distincta ab ipsam actione, qua talis actus fit, sed est eadem actio ut a Deo; tamen quia prius natura est a Deo, ideo per illum dicetur Deus applicare et praemovere voluntatem atque adeo determinare illam, salva libertate, quia in re non fit illa actio sine cooperatione libera ipsius voluntatis. Haec vero sententia in re non discordat a nostra, et ideo cum illa non est de non-minibus contendendum.

Ad tollendam autem ambiguitatem verborum placet magis uti hac voce *prius causalitate*, quam illa *prius natura*. Nam influxus Dei per actualem concursum dici potest prior natura propter independentiam, nobilitatem et universalitatem; non tamen dici potest proprie prior causalitate, ita ut voluntas nostra ideo determinetur ad operandum quia Deus per suum concursum illam determinat; quia cum illa determinatio sit una indivisibilis actio a Deo et a voluntate, non potest habere causalitatem realem in seipsam secundum diversos respectus, quia magis consideratione nostra quam re ipsa distinguuntur. Non est ergo ab una causa quia est ab alia, sed unaquaque se determinat cooperante alia. Quod necesse [fol. 367v] est fateantur etiam autores prioris sententiae, distinguentes duplum influxum Dei: unum in causam secundam, alium in effectum et actionem eius. Nam quoad hunc secundum, plane ponunt hanc simultatem sine alio ordine causalitatis. Ita ergo nos loquimur simpliciter de concursu primae causae ut sic, quatenus datur causae secundae iam sufficienter constitutae in actu primo cum omnibus conditionibus requiritis ad agendum. Ille enim datur solum in actualem actionem: et ideo non est distinctus ab illa, nec potest ordine causalitatis illam antecedere. Hoc autem supposito nulla est propria praedeterminatione physica humanae voluntatis per concursum vel influxum Dei, sed est sola effectio eiusdem actus cum ipsa voluntate, quae aliis titulis dici potest prior natura. In efficiendo autem non prævenit proprie voluntatem nostram; et ita non potest hic concursus, ut datur ad supernaturales actus, proprie vocari gratia præveniens, nec huius appellationis vestigium in Augustino invenitur, sed coinerantem vel adiuvantem gratiam illam vocat.

Scio adhuc manere questionem de voluntate illa Dei, a qua hic concursus seu influxus procedit. Quia illa est absoluta et ef-

ficax voluntas Dei, et exsequens ad extra, et antecedens nostram determinationem. Nam ab aeterno posita est, et non ex praevisione nostri actus (id enim repugnat); ergo antecedenter ad nostros actus; ergo per efficaciam illius voluntatis dicetur nostra voluntas praedeterminari. Sed ad hoc respondendum est, voluntatem illam Dei, licet in suo esse ac determinatione antecedat aeternitate nostrum consensum, tamen causalitatem non ponit ut antecedentem sed ut concomitantem. Quia per illam solum vult Deus concurrere nobiscum. Et ita virtute includit conditionem et concomitantem influxum liberi arbitrii, quia non vult Deus eius libertatem violare seu temerare, ut alibi loquitur Chrisostomus. Nam licet posset Deus absoluto actu sue voluntatis nostram movere et praedeterminare, id tamen necessarium non est ad concursum primae causae, cum satis sit dicta [fol. 368r] voluntas concurrendi. Nec stare posset cum libertate voluntatis, ut alibi latius declaratum est. Et ob eamdem causam etiam in operibus gratiae non est necessarius ille modus concursus vel motionis per talem voluntatem Dei; alias non esset in potestate hominis, qui reipsa convertitur, habere talem concursum; quia Deus non habuit voluntatem dandi illum, et non est in potestate hominis facere ut Deus habeat talem voluntatem. Non ergo imputabitur tali homini quod non se convertat, quia sine illo concursu converti non potest. Et e converso non est ille modus concurrendi accommodatus libertati eorum qui convertuntur ut vulgariter argumento de antecedente suppositione (quae ex voluntate non pendet ut ponatur et illi positae resistere non potest) ostendi facile potest. Non ergo datur hic concursus per modum causalitatis antecedentis respectu liberae voluntatis creatae, sed solum per modum concomitantis et adiuvantis illam ad causandum actum. Nec in Augustino (ut ad institutum semper revertar) verbum aliquod invenis, quod aliud indicet.

Unde ad testimonium illud ex Enchiridio Coloniensi non esset mihi necessarium respondere, tum quia illud non est testimonium Augustini, nec ibi aliquis locus Augustini affertur ex quo distinctio illa auxilii praevenientis sub illis verbis colligatur, tum etiam quia liber ille non habet auctoritatem Concilii Provincialis, sed solum cuiusdam catechismi editi et probati ab illa Provinciali Synodo. Nec nobis constat, an in ipsamet Synodo et immediate ab

ipsa fuerit totus recognitus et probatus, an vero per alios quibus id munus commissum est<sup>69</sup>.

Deinde ostendo distinctionem illam de duplice gratia praeveniente, prout in illo libro explicatur, non esse datam propter duplē gratiam praevenientem, sufficientem scilicet et efficacem. Quia in utroque membro illius invenitur gratia efficax, ut ex discurso illius doctrinae constat.

Nam prior gratia praeveniens dicitur esse illa, qua Deus homines praevenit ac incitat ut resurgent; ad quam pertinere dicuntur interni motus cogitationis sanctae circa Deum vel peccatum, terror gehennae, affectio aliqua boni, itemque speciales occasiones quas Deus offert ut excitentur [fol. 368v] hi motus, scilicet verbum Dei, adversitas aliqua, bonum exemplum alterius etc. Deinde vero subditur, ex hac gratia praeveniente prius quam ad iustificationem perveniat oriri saepe actus bonos, liberos et aliquo modo supernaturales, disponentes hominem paulatim ad iustificationem; ut sunt orare, vitare aliquod peccatum, restituere alienum, facere eleemosynam etc. Et in hoc genere ponitur etiam fides et aliqua conversio voluntatis, que appellatur praeparatio ad gratiam iustificationis; de qua intelligitur illud 1 Reg 7 [3]: “praeparate corda vestra Domino”: et illud Act 3 [19]: “paenitemini et convertimini”. Immo ita declaratur dispositio quam habuit Cornelius (Act 10 [4]), ut impetraret a Deo adventum Petri. Ex qua doctrina evidens est, illam gratiam praevenientem, quae in illo priori membro collocatur, non esse sufficientem tantum, sed etiam efficacem quoad actus humanos, propter quos proxime confertur. Non enim dicitur gratia efficax solum per ordinem ad aeternam salutem, nec solum per ordinem ad iustificationem, sed etiam per ordinem ad singulos actus supernaturales. Est enim gratia seu vocatio efficax ad fidem illa per quam datur alicui ut credat, etiamsi non detur illi ut convertatur. Idem est de spe et de quocumque alio opere pietatis, ut tale est. Et ita loquitur Augustinus ubique et est per se res clara; quia gratia, quae suum habet proprium effectum, est efficax. Item ibi

<sup>69</sup> El *Enchiridion Christianae institutionis* es en efecto obra de Gropper y fué compuesto después de terminado el Sínodo. En él se reflejan las ideas de su autor sobre la justificación. Cf.: J. HEFNER: *Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes* (Paderborn 1900) 165-181.

intervenit non solum gratia praeveniens, sed etiam cooperans seu adiuvans, quia haec necessaria est ad singulos actus pietatis; ergo intercedit gratia efficax. Denique ibi determinatur voluntas ad tales actus liberos credendi, sperandi, dandi eleemosynam cum respectu aliquo supernaturali, et non determinatur a tali gratia praeveniente; ut supra generaliter probatum est, et in praedicto Enchiridio supponi videtur in § Ergo cum peccator etc.: *interim nos ante iustificationem nihil facimus, nisi quod bonis inspirationibus Dei non repugnamus, sed assentimur* <sup>70</sup>. Quoad hunc ergo assensum vocatio illa efficax est, eiusque efficacia non in illa determinatione consistit. Et ita quoad hanc partem tota illa doctrina plurimum favet nostrae sententiae.

Additur vero ibidem, post has praeparationes accipere peccatorem aliam praevenientem gratiam et iustificantem, quia voluntas [fol. 369r] sanatur, ut sancta Dei adiutorio legem impleat: quam nulla praecedunt merita, ipsa est enim quia iustificatur impius meritis autem impii non gratia sed poena debetur. In quibus verbis videtur esse sermo de ipsa infusione iustitiae habitualis. Nam illa sola est, quae ex impio facit iustum et quae sanat hominem redditque illum dignum meriti de condigno. Quae omnia illi posteriori gratiae praevenienti ibi tribuuntur. Iuxta quem sensum, sub actibus prius numeratis, qui ex priori gratia praeveniente manare dicuntur, comprehendit debet etiam contritio seu ultima dispositio ad iustitiam habitualem; quia ante hanc praeparationem non potest absolute dici nec ut certum promitti quod post tales actus accipiat homo gratiam iustificantem. Et sane haec loca Scripturae, quae ibi afferuntur, multum favent huic interpretationi. Nam in illis sermo est de praeparatione sufficiente ad iustificantem gratiam, ut patet de verbis Petri: “paenitemini et convertimini” [Act 10, 19]. Atque ita fit, ut illa prior gratia praeveniens sit in suo genere sufficiens et saepe etiam efficax ad actum liberum et supernaturalem absolute necessarium ad gratiam iustificationis consequendam. Et tamem adversarii fatentur illam gratiam praevenientem, de qua loquitur ibi Enchiridion, non esse ita sufficientem natura sua ut determinet voluntatem humanam ad illum actum, ad quem movet talis gratia praeveniens. Ergo gratia sic effi-

cax et sic praeveniens non est necessaria ad iustificationem. Solum videri potest novus ille modus loquendi et vocandi gratiam praevenientem ipsam in fusionem iustitiae habitualis; et sine dubio hic modus loquendi non est Augustini, nec illo reperietur. Potuit tamen probabili ratione introduci, tum quia Scholastici illo modo aliquando loquuntur (nam S. Thomas et alii habitus ipsos infusos numerant inter gratiam operantem), tum etiam ut significaretur gratiam illam praecedere omne meritum proprium et de condigno, etiamsi sequatur post multos actus bonos natos ex praecedentibus auxiliis, ut ibidem statim fuse explicatur, quasi insinuando hanc rationem illius appellationis; tum denique quia, licet infusio gratiae iustificationis habeat rationem gratiae subsequentis respectu vocationis et aliorum auxiliarum et actuum praecedentium, tamen est gratia praeveniens respectu omnium [fol. 369v] actuum, per quos proprie meremur coram Deo. Et ita illa distinctio duplicitis gratiae praevenientis nihil obstat doctrinae a nobis datae, sed addit solum quemdam loquendi modum.

Unum vero superest (nihil enim difficultatis dissimulare aut occultare debo) in illomet loco Enchiridii, quod nobis negotium aliquod facessere posse videatur. Adduntur enim statim in § Hanc autem, haec verba: *hanc autem gratiam iustificantem voluntas nostra, ut supra diximus, comitatur ac veluti pedissequa subsequitur; non quidem tempore, sed causa tantum et natura. Voluntas enim in iustificatione nostra gratiae quodammodo cooperatur, sic ut iustificatio nostra sine voluntate et consensu accipientis non perficiatur*<sup>71</sup>. In quibus verbis in primis videtur requiri ad iustificationem novus actus voluntatis, praeter omnes illos qui fieri possunt per priorem gratiam praevenientem; et ita in eis non videtur esse sermo de ultima dispositione, sed tantum de remotis. Deinde significat hunc actum voluntatis ita comitari iustificationem, ut ex infusione ipsiusmet gratiae iustificantis efficaciter et infallibiliter consequatur. Ideo enim dicitur, voluntatem nostram esse pedissequam non prioritate temporis, sed naturae; quod non posset esse in universum verum, nisi emanatio talis actus a gratia iustificante esset ex absoluta et omnimoda efficacia, atque adeo cum physica determinatione voluntatis. Indicatur praeterea,

71 Enchiridion Christianae institutionis.

cum illa efficacitate praeveniente stare cooperationem nostras voluntatis sufficienter liberam; quia sine hoc libero consensu non potest perfici iustificatio. Hoc autem ipsum est quod alii doctores generaliter docent de omni consensu libero. Et sane si in uno non repugnat, neque in ceteris repugnabit. Denique supponi in ea doctrina videtur, hunc actum voluntatis, quo ipsa acceptat iustificationem suam, in nullo genere causae antecedere infusionem gratiae iustificantis, sed tantum subsequi ordine naturae, et tempore comitari; ideoque gratiam illam iustificantem eiusque infusionem esse simpliciter praevenientem respectu talis actus, licet sit subsequens respectu aliarum gratiarum.

Difficultas vero haec nascitur ex vario usu harum vocum gratiae praevenientis, subsequentis, comitantis et iustificantis [fol. 370r]. Nam duo prima saepe sumuntur respective; et gratia, quae dicitur praeveniens respectu unius actus, est subsequens respectu alterius gratiae vel actus; et idem fere est de concomitante. Gratia autem iustificans, seu iustificatio, interdum sumitur pro infusione gratiae habitualis, interdum vero pro tota mutatione ut includit ultimam motionem Dei, qua facit voluntatem perfecte converti et praeparari ad infusionem gratiae sanctificantis, quam statim recipit. Insinuatur ergo in illis verbis opinio illa, quae asserit, in iustificatione peccatoris contritionem ipsam, seu dispositionem ultimam, oriri ab habitibus; et ideo infusionem gratiae sanctificantis habitualis ordine naturae antecedere talem dispositionem et illam secum afferre, consentiente voluntate nostra. Qui consensus, licet sit prior natura quam gratia habitualis ut in nobis recepta atque informans et sanctificans, non tamen est prior illo modo quam infusio eiusdem gratiae ut est a Deo moliente voluntatem nostram. Haec ergo gratiae infusio vocatur ibi gratia praeveniens illo secundo modo, iuxta hanc interpretationem.

Quae quidem doctrina sic intellecta, licet inter Scholasticos probabilis sit, non tamen est certa, nec in Augustino habet fundamentum, quod ego sciam, vel ab his doctoribus scholasticis allegatur. Ex illa tamen non sequitur determinatio physica. Quia tota illa praemotio vel infusio Dei potest habere infallibilem connexionem cum voluntatis libero consensu, non ex sola efficacitate physici, sed adiuncta simul praescientia conditionata, sicut de-

vocatione congrua dicimus. Et ita nihil urgent omnia quae proponuntur. Nihilominus non censeo doctrinam illam in se veram esse, nec etiam in illo libro fuisse intentam. Primuni non potest hoc loco ex professo ostendi. Declaratur autem breviter ex Concilio Tridentino sess. 6 cap. 7, dicente: *hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur etc.* Et infra docet, *iustitiam unicuique infundi iuxta uniuscuiusque dispositioem.* Idem can. 3 et 4. Ex qua doctrina plane colligitur, dari ex parte nostra cum divinae gratiae auxilio dispositionem aliquam, cui commensuratur gratiae iustificantis infusio; et consequenter dari in nobis dispositionem ad ipsam infusionem gratiae iustificantis, non solum prout recipitur in nobis sed etiam prout a Deo fit. Praeter [fol. 37ov] quam quod haec distinctio nec in philosophia habet fundatum, nec intelligi plane potest. Quia non est aliqua dispositio ad formam, quae non sit etiam dispositio ad actionem et passionem per quam fit et recipitur talis forma. Nam dispositio in suo genere determinat agens ut tanta et tali actione, et non alia, inducat formam. Alioqui si agens ex se et sine respectu ad praeviam dispositionem inducit tantam actionem, necessario forma erit independenter a dispositione. Accedit praeterea in praesenti, quod dispositio illa debet fieri a voluntate. Si autem fit per habitualem gratiam, necesse est ut illa gratia supponatur non solum manans a Deo, sed etiam in facto esse; quia habitus non est principium cooperans cum voluntate, nisi ut efficiens illam, nec forma agit aliquid prout est in fieri prius quam sit determinata et in facto esse. Non est ergo in se vera illa sententia. Quod autem nec in illo Enchiridio fuerit intenta, ex sequenti punto facile constabit.

Respondeo igitur, illam etiam gratiam praevenientem, quae in illo secundo membro ibi collocatur, esse propriam gratiam excitantem per illuminationem, inspirationem etc.; solumque distingui a priori membro, quia datur immediate ad elevandam voluntatem ut eliciat ultimam dispositionem ad gratiam, prior vero datur ad remotiorem dispositionem. Hic sensus patet ex discursu illius §. Hanc autem gratiam, ubi late explicatur quomodo voluntas consentiat suaे iustificationi, non sua sola libertate, sed praeventa hac gratia et adiuta. Et tamen subditur: *itaque totum Deo recte ascribitur, qui voluntatem nostram, quam creando nobis impertiit, gratia sua praevenit et excitat torpescensem ut lapsum*

*suum nolit, postea corrigit nolentem ut resurgere velit, postremo adiuvat violentem ut resurgere possit. et sic salus nostra Dei gratuitum est donum* <sup>72</sup>. Ubi dispositio proxima et remota insinuat et gratia utraque praeveniens, excitans dicitur, cui subiungitur adiuvans ut dispositio consumetur. Unde fit, per gratiam iustificantem ibi non intelligi solos habitus infusos, sed etiam [fol. 371r] omnem illam motionem gratiae, per quam proxime Deus movet hominem ut se perfecte disponat et consentiat, usque ad sanctificantis gratiae infusionem. Haec autem motio et mutatio tota sequitur regulariter post dispositiones remotas, ut Concilium Tridentinum late describit, et illud ipsum est intentum in illo Enchiridio, et nihil aliud. Non participat autem illa motio vel excitatio ultimam rationem et nomen gratiae iustificantis, nisi quando ita datur ut effectum suum infallibiliter consequatur, id est nisi quando datur ut vocatio efficax. Hoc autem non habet ut determinationem physicam, sed quia congrue datur secundum propositum Dei, ut Augustinus locis citatis docuit. A cuius doctrina in re non discrepant auctores illius Enchiridionis, licet aliquem modum loquendi habeant, qui fortasse in Augustino non reperiatur. Quod nihil refert, quando in doctrina est summa consensio.